



# Specimen medicum inaugurale de hydrope ligamentorum uteri

<https://hdl.handle.net/1874/9752>

*SPECIMEN MEDICUM INAUGURALE*

D E

**HYDROPE LIGAMENTORUM  
UTERI,**

Q U O D,

F A V E N T E D E O,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI  
**HERMANNI ROYAARDS,**

*S. S. Theol. Doct. et Prof. Ord.*

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE

DECRETO,

*PRO GRADU DOCTORATUS*

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO ATQUE SOLENNI EXAMINI SUBMITTIT

**PETRUS IOHANNES ISAÄCUS DE FREMERY,**

**RHENO-TRAIECTINUS.**

**DIE X MAII MDCCCXIX, HORA XI.**



*TRAJECTI AD RHENUM,*

**Ex OFFIC. JOH. ALTHEER.**

*VIRIS CLARISSIMIS,*

NICOLAO CORNELIO DE FREMERY,

A. L. M. PHILOS. ET MED. DOCT. MED.  
CHEM. HIST. NATUR. IN ACAD. RHE-  
NO-TRAIECTINA PROFESSORI  
ORDINARIO,

INSTITUTI REGII ARTIUM DOCTRINA-  
RUMQUE SOCIO,

COLLEGII AD CURANDAS RES MEDICAS  
IN PROVINCIA TRAIECTINA PRAE-  
SIDI PERPETUO,

*PATRI CARISSIMO, PROMOTORI EXOPTATISSIMO.*

IANO BLEULAND,


MED. DOCT. MED. PHYSIOL. ET ART.  
OBSTETRIC. IN ACAD. RHENO-TRA-  
IECTINA PROFESSORI ORDINARIO,

*PRAECEPTORI DILECTISSIMO.*

CAETERISQUE PRAECEPTORIBUS  
OPTIME DE SE MERITIS.

*SACRUM FACIT.*

AUCTOR.



## P R O Ë M I U M.

*Summos in medicinâ petiturus honores, de argumento cogitavi, quod specimini inaugurali materiam præbere posset; quod cum agerem, feliciter se mihi obtulit opportunitas dicendi de materiâ, non adeo quidem in vulgus notâ, describendo scilicet hac in dissertatione notabilem casum morbi, a me ipso, duce Clar. Wolterbeek, in Nosocomio Academico observatum. Inter plures nimirum aegrotos, in nosocomio nostro tractatos, etiam femina fuit, quæ induratione in dextrâ epigastrii regionis parte laborabat, una cum affectione hydropicâ abdominis, quem morbum hydropem Ascitem esse putabamus, ex hepatis degeneratione et tumore, ut frequenter fit, originem ducentem. Ast post mortem error patuit, enormis enim, aperto cadavere, tumor ac ovarii dextri degeneratio observabatur, una cum humoris serosi, in uteri ligamento huius lateris lato, accumulatione.*

*Hunc igitur morbi casum describere haud inutile duxi, atque hac datâ opportunitate, distinctius inquirere in ipsius morbi Hydropis ligamentorum uteri diagnosis, causas, naturam, et tractandi rationem.*

*Materiem gravissimam illam, ita tractare conabor ut duabus absolvatur partibus.*

*In primâ praemittam, cum nostrâ observatione, alia duo eiusdem morbi exempla, mecum a Clar. Bleuland beneyole communicata; dein praecipuas veterum observationes proponam, tandem illas additurus, quas a recentioribus descriptas inveni.*

*In alterâ vero parte ex propositis observationionibus, corrolaria elicere conabor, quibus huius morbi ab aliis affectionibus hydropicis, imprimis ascite, diagnosis illustretur; quo facto, eiusdem causas, naturam, et curandi methodum exponere conabor.*

*Argumentum vero propositum antequam aggredior, unum superesse mihi, ex hac doctrinarum sede discedenti, munus perficiendum, non tantum mos monet et officium, sed et pectus. Praeceptoribus usus sum tot tantisque beneficiis me ornantibus,*

*bus, ut eorum oblivisci mihi religioni sit, debitam non persolvere gratiam profecto nefas.*

*Quali autem animo ad hoc peragendum officium accedam filius, qui in hisce praeceptoribus patrem agnosco carissimum? Vitae mihi parens et auctor fuisti et quod maius est dux. Nil arduum unquam censuisti, quod meae conducirer saluti, a teneris inde, litterarum me imbuisti amore, ita me instituisti, ut ad studia non tantum, sed et virtutem, me instigarent paterna consilia et monita. At vero quid beneficia enumerem, quae exstant innumera? Quid debeam, imis praecordiis sentio, verbis significare non valeo. Quod possum agam, tuis ducibus, praeceptis et exemplo, vitam ita agens, ut optimo patre non prorsus indignum filium me censeant omnes.*

*Dein et maximas tibi ago gratias Clar. Bleuland praeceptor dilectissime! qui me a tenerissima iam aetate semper benevole excepisti, quo in studiorum integro decursu, carissimo semper usus fui praeceptore, qui nunc etiam hanc meam operam praeclaris tuis observationibus augere non recusavisti, gratum satis animum nunquam tibi referre poterò; ast ne publica haec meae reverentiae et amoris testimonia recuses confido.*

*Neque vestrum nomina reticere licet, Clarissimi Wolterbeek, Suerman et Heyligers, quibus quantum debeam sentio, qui me in doctrinâ artis salutaris practicâ, chirurgicâ et obstetricâ ita instuistis, ut meliores ac magis amici praeceptores nunquam mihi adesse potuissent, quibus pro beneficiis, me vobis gratum semper animum monstraturum sancte polliceor.*

*Vobis tandem omnibus Viris Clarissimis, qui me in quacunque doctrinarum parte erudivistis, gratias ago quam possum plurimas; per omne quod mihi supererit vitae tempus, vobis gratus ero discipulus, et fore ut ne vestram mihi denegare velitis amicitiam maxime spero.*





P A R S P R I M A.

OBSERVATIONES

DE HYDROPE LIGAMENTORUM UTERI.



OBSERVATIONES NOVAE.

**H**ydrops frequentissimus est morbus et in nostrâ etiam patriâ saepissime diversae eius species observari solent, nec illae tamen omnes pari facilitate a se invicem distinguuntur. Valet hoc imprimis de distinctione hydropis ascitis, a variâ hydrope viscerum abdominalium saccato. Hydrops ligamentorum uteri praesertim a variis scriptoribus cum ovariorum hydrope confusus fuit, nec tamen qui sede revera differt, idem dicendus videtur morbus. Quum igitur hydrops ille ovarii, qui plerumque pro hydrope ligamentorum uteri videtur habendus, in nostrâ patriâ non tantum non sit infrequens,

A

sed

sed etiam ab Exp. van den Bosch (1) inter endemios morbos referatur, spero fore, ut sequentes observationes aliquid ad accuratam magis utriusque affectionis morbosae distinctionem conferre possint.

## OBSERVATIO PRIMA.

*Johanna S.* . . . . . 36 annos nata, constitutionis phlegmaticae, famula, ultra quadriennium huius urbis incola, semper adversâ utebatur valetudine; saepius enim vexabatur dyspepsiâ cum praecordiorum dolore et turgore, acido primarum viarum, cute flavescente et languore virium: menstrua parcius fluere incipiunt et tandem prorsus sistuntur. Accedit notabilis tumor in hypochondrio dextro, sub costis spuriiis, durus ad attactum, cum dolore obtuso; tandem omne intumescit abdomen, et valde simul imminuitur urinae excretio.

Ineunte anno 1818, omnia haec symptomata valde augentur, tumor lateris dextri magnitudine ita

au-

(1) J. J. v. d. Bosch, *Verhandeling over de ziekten uit de gesteldheid van het Vaderland voortvloeiende: In de Verhandelingen van de Holl. Maatsch. der Wetenschappen, Deel XVIII, bl. 537.*

augetur, ut supra alias abdominis partes valde emineat, et in latitudinem etiam extendatur; simul abdomen increscit et fluctuationis indicia apparent, urina parca est et eius quantitas longe minor quam in sano homine excerni solet, simulque sedimentum lateritium notabile deponens.

Hac morbi conditione die 28 Martii Nosocomium ingreditur. Exploratâ parte affectâ, distincte patuit, magnam humoris effusi copiam in abdominis cavitate adesse, quae cum per vias naturales facile evacuari posse non videretur, quia iam plurima et optima frustra assumserat remedia diuretica, iuniperina imprimis aegrotâ, hinc ut symptomatibus gravioribus obviam eatur, statim instituitur paracenthesis abdominalis operatio, quâ 360 Unciae humoris spissioris, gelatinosae, colorem infusi coffeae cum lacte mixti referentis evacuantur. Post depletionem illam nunc magis in conspectum venit hypogastrii dextri tumor, partem abdominis lateralem et posticam tenens et integumenta communia in altum elevans.

Primis post operationem diebus, symptomata quidem aliquomodo levantur, sed tamen infaustum de morbi sanatione praesagium ferendum videtur;

A 2

quam-

quamvis enim efficacissima remedia tonica et resolventia, imprimis ex classe amaricantium et salinorum, diureticis iuncta, magna industria quotidie adhibita fuerint, nullus tamen horum fuit effectus in promovendâ urinae secretionem, quae nunc quidem paulo maior nunc paulo minor sed semper parca erat. Inter medicamenta illa praeter amaricantia et salina, iuniperina, Cremorem tartari solubilem, imprimis vero recentiori tempore maxime laudatam herbam *Ballotam lanatam* per aliquod tempus assumsit, quin imo integra huius libra usa fuit, absque ut tamen efficaciae adeo celebratae eius nobis patuerint indicia. Appetitus tamen bene vigeat, alvus regulariter deponeretur nec fractae ullâ ratione vires digestrices videbantur. Quamvis igitur haec satis bene se haberent, tamen denuo maxime increvit abdominis tumor hydropicus, perspicuâ et notabili fluctuatione sentiendus, ita ut, urgente necessitate, initio mensis Iunii denuo institueretur artificialis liquoris collecti evacuatio, ad quantitatem 380 Unciarum, coloris et consistentiae priori prorsus similis. Morbosa lateris dextri induratio et intumescencia potius aucta quam immixta videbatur.

Ineuntibus feriis aestivis ad familiares rediit, pergens adhibere medicamenta tonica et resolventia; inter quae Extractum Cicutae, Murias Hydrargyri oxydulati et pulvis Digitalis purpureae, diu quoque sine salutari effectu adhibita sunt.

Mense Septembri eiusdem anni denuo ad Nosocomium accessit in eadem versans conditione, humoris effusi artificialem educationem ipsa petens; status virium erat bonus, appetitus vigeat, digestio rite et facile peragebatur, urinae evacuatio admodum parca erat: Unciae plerunque 30 vel 40 ad summum quotidie evacuantur. Tertiâ igitur vice instituitur paracentesis, quâ 370 Unciae humoris, indolis iam antea descriptae denuo evacuantur.

At vero intra breve spatium iterum increscit aquarum copia et symptomata molesta cito redeunt, ita ut 3 Novembris die ultimâ vice instituitur operatio, indicatione nunc multo magis symptomatiâ, quam sanatoriâ: Quantitas seri accumulati et emissi fuit 356 Unciarum, nullo modo qualitates mutatae apparent, Tumor autem lateris dextri auctus videbatur et inferiori suâ parte regionem pubis attingebat.

Ab eo vero tempore vires imminuuntur et ex-

tenuatio totius corporis magis manifesta observatur, imprimis vero in facie et extremitatibus superioribus. Accedit febricitatio pomeridiana cum rubore genarum, calore in volis manuum plantisque pedum, imo vera accenditur febris hectica. Appetitus sensim imminuitur, urinae quantitas fere nulla est, quantitatem 10 vel 12 Unciarum de die raro superans; alvus tarda, lingua rubra, subinde aphthis obsita, sitis magna, mentis vires quae nunquam magnae videbantur, nunc saepius penitus deficiunt. In illo statu vino et nutrimentis utitur aegrota. Status ultro in peius vergit, loca corporis cubando pressa inflammantur, excoriantur et crusta gangraenosâ teguntur: interim quotidie increscit abdomen et venae eius varicosae fiunt; ut tandem abdominis ambitus sit 4 pedum cum uno pollice.

Tandem medio mense Ianuario 1819 maximum emaciationis et debilitatis gradum attingisse videtur, accedente involuntario excrementorum effluxu, pulsu vix sentiendo et sic die 21 huius mensis, misera placide e vita discedit.

*Sectio Cadaveris.* Sequenti die, 22 Ianuarii, procedimus ad perscrutandum cadaver: antequam vero abdomen aperiebatur, primum paracentesis insti-

tue-

tuebatur, quâ operatione 638 Unciis humoris turbidi, minus gelatosi quam antea, exitus parabatur. Incisurâ cruciatâ dein factâ in abdominis cavum pervenimus; nulla in eo intestinorum apparuerunt indicia, ast erat cavum vacuum, quo humor serosus contentus fuerat et in cuius pariete instrumenti pungentis vulnusculum conspiciebatur, fundus huius cavi inaequalis erat, fibris variis obsitus ac grisei coloris.

In dextrâ abdominis parte, eo loco quo hepar adesse solet, corpus quoddam reperiebatur figurâ hepar aliquomodo simulans, et cavo memorato contentum. Cavitatem illam membranaceam ultro perscrutando, fluctuatio quaedam ad ultimas lumborum vertebrae percipiebatur, factâ in eo loco aperturâ, satis magna liquoris quantitas prodibat prorsus illi similis, qui ex cavitate abdominali evacuatus fuerat. Liquor ille ex pelvis cavitate oriri videbatur et pure inquinatus reperiebatur; evacuato seroso hoc humore, incisura ultro extendebatur, ac nunc oculis se obtulit fundus uteri, qui ligamenti validissimi ope sursum trahebatur; ligamentum illud originem ab uteri parte dextrâ ducebat et cor-

pori iam memorato etiam ab eadem parte iungebatur. Ovarium sinistrum profunde in pelvi situm erat.

Saccus membranaceus, in quo liquor continebatur nunc prudenter a vicinis partibus, ab inferiori incipiendo, solvebatur, quo remoto, sensim intestina reliqua in conspectum veniebant; ubi ad partem dextram abdominis pervenimus corpus memoratum prudentissime a costis spuriis et partibus adiacentibus liberabatur atque e cadavere sublatum fuit, una cum utero ei ligamenti ope affixo.

His omnibus e corpore sublatis, alte ad diaphragma hepar reconditum apparuit. Viscus illud sanum erat sed paulo minoris voluminis quam caeterum in homine adulto esse solet; in lobo maiori parvi aderat momenti abcessus, pure repletus, prope ligamentum hepatis latum. Cystis fellea parvam bilis quantitatem continebat.

In parte sinistra observabatur ventriculus sanus sed parvus, una cum omnibus intestinis tenuibus pariter atque crassis et liene, minimum implentia spatium: quam proxime haec sibi invicem incumbant; omentum gastro-colicum parvum, contrac-



tractum et tenue erat sed sanum. Omnia igitur intestina digestioni ciborum inservientia, quae caeterum in sanis per universum abdomen disperguntur, in hac foeminâ in solâ hypogastricâ regione collocata deprehendebantur, atque a sacco membranaceo in arctiores cogebantur limites.

Reliqua viscera, uropoëtica aequae ac illa quae respirationi et circulationi inserviunt, sana erant, nec quidquam attentione dignum in cadavere ulterius observandum.

Inspectis sequenti die partibus e cadavere desumptis invenimus.

1. Uterum sanum, ovarium dextrum una cum uteri ligamento lato et rotundo in sacco membranaceo contentum; vel potius illa ligamenta valde extensa ipsum saccum formabant, quo corpus illud continebatur.

2. Saccus ille fabricâ firmâ membranaceâ fibrosâ erat, interni eius parietes inaequales erant et quasi pseudomembranas, a praegressâ inflammatione superstitēs, monstrabat.

3. Dissecto corpore sacco contento, patuit internam eius substantiam, multis corporibus vesicu-

cularibus ovoïdeis constare, quae humore viscido gelatinoso vel potius glutinoso repleta erant, quaeque firmiter ope membranae fibrosae invicem coniungebantur.

Ex his omnibus igitur est concludendum, corpus illud esse ovarium dextrum, volumine valde auctum ac degeneratum. Degenerationes illae ac ovariorum indurationes saepius a pathologis observatae fuerunt, ac ipsa ovaria cellulis distincta et materiâ viscidâ plena, uti in nostro obtinuit casu. Patuit porro ovarium ligamenti ope arcissime cum utero iunctum fuisse, ac humorem serosum contentum in sacco, ex illâ peritonaei duplicaturâ orto, quae uteri fundum investit ac ovarii tunicam externam et uteri ligamentum latum constituit.

#### OBSERVATIO SECUNDA.

Matrona 56 annos nata, uxor viri cuiusdam nobilis, constitutionis sanae, habitu corporis procerro, quae nunquam partum ediderat, et fluxum menstruum usque ad annum 48 regularis periodis at satis parvâ quantitate perpessa fuerat, nunc per aliquot tempus affectione hydropicâ in abdominis

cavitate laboravit, notabili et facile percipiendâ fluctuatione dignoscendâ. Affectio hæc absque notabili prægressâ causâ exorta videbatur, cui ut auxilium et levamen ferretur operatio paracenthesis abdominis instituebatur die 2 Maii anni 1802.

Exploratione externâ abdominis, in antecessum institutâ, reperiebatur illud ab unâ quâque parte æquali ratione expansum, integumenta communia et musculi abdominales valde tensa erant atque fluctuatio ad percussionem partis affectæ manifesta. Pulsus erat regularis, alvus tarda.

Instituebatur igitur paracenthesis solitis cum cautelis, quâ quantitas 560. Unciarum humoris serosi limpidi evacuabatur. Antequam vero deligatio abdominis necessaria instituebatur, illud denuo exploravit Vir Clarissimus, atque in inferiori eius parte indurationem quandam, pugnum magnitudine æquantem, mobilem utcunque, invenit.

Primis post operationem diebus febricitatio aliqua percipiebatur cum doloris in abdomine sensu; ast cito reconvaluit aegrotâ, atque per vias urinarias maiorem liquoris quantitatem deposuit, quam assumebat. Quoniam autem post aliquot tempus hæc

eva-

evacuatio per vias naturales imminui incipiebat, conamina instituebantur ad illam aptis remediis restituendam, sed quia pleraque medicamenta diuretica non ferebantur et prae caeteris Scilla vias afficiebat primas absque ut optatum ederet effectum, hinc sequentes praescribebantur pilulae.

℞. Mass. pilul. tonic. Bacheri ℥ij

f. pill. gr. ij.

S. 3 de die 2 pilulas.

Post assumptas has pilulas urinae copia valde augebatur, ita ut fluidi assumti copiam quotidie nunc magis, nunc minus superaret, eo tamen cum discrimine, ut, quo copiosior fuisset noctu sudor, eo minor urinae copia interdum excerneretur. Abdomen semper cingulo idoneo constrictum servabatur.

A°. 1803 earundem pilularum usus cum successu adhibebatur, nullae inde in primis viis oriebantur turbae, et eadem ratione quantitas fluidi excreti ad eiusdem assumti copiam se habuisse deprehendebatur, quae non obstante largiori urinae excretionem, volumen abdominis per 2½ pollices auctum fuit.

A°.

A°. 1804. Magis magisque abdomen intumescere incepit, fluctuatio manifesta observatur, ita ut ob symptomata molesta denuo congruum iudicaretur, instituere paracentesis operationem, quae denuo locum habuit die 6 Octobris, et quâ 616 Unciae humoris limpidi, serosi evacuabantur. Evacuatis aquis induratio in regione hypogastricâ rursus percipiebatur, caeterum bene satis valuit aegrota.

A°. 1805. Omnia uti antea observabantur, lente intumuit abdomen, sed quia sanitas aegrotæ satis integra erat, hinc præter solitas pilulas, alia medicamenta assumere recusabat.

A°. 1806. Intumescencia et abdominis tensio valde augebantur, una cum fluctuatione caeterisque symptomatibus, quae, ut auxilium a paracentesi peteretur, postulabant; quâ, 1° Maii die, 392 Unciae liquoris præcedenti analogi evacuabantur. Post operationem sanitas integra remansit, sed urinae excretæ copia sensim imminuebatur, ut paulo minus excerneretur urinae, quam liquidi assumptum fuerat.

Die 23 Maii anni 1807, iterum 336 Unciae aquae evacuabantur per paracenthesin, coloris utcunque  
ob-

obscurioris viridescens, nec tamen turbidae, odoris seri soliti. Post operationem bene valuit, urinam copiose emisit; cuius copia quum elapso aliquo tempore denuo minueretur, timor oriebatur, ne forte pilulis solitis per diuturnum usum naturam iam assuefacta esset, quare usus Digitalis purpureae suadebatur. Sed illud medicamentum, sub quâcunque formâ adhiberetur, quemadmodum et in connubio cum variis roborantibus et stomachicis, tamen ventriculum valde afficiebat; nauseam, cardialgiam vomitumque producebat, utut minimâ, tantum exhiberetur dosi; hinc ulterior eius usus vetabatur et recurrendum erat ad pilulas Bacheri quarum iam grana 30 de die absque incommodo assumebat, nec tamen earum dosis ulterius augeri potuit. Alvus interea regulariter deposuit aegrotam et urinae copia fluidi assumpti quantitatem fere aequabat.

Ab hoc autem tempore denuo expandebatur magis magisque abdomen et iterum tale acquisivit volumen, ut, die 24 Iunii anni 1808, paracenthesin instituere oportuerit, quâ 336 Unciis eiusdem liquoris serosi exitus parabatur, coloris magis profun-

fundi. Induratio in abdomine volumine aliquomodo aucta apparebat. Caeterum satis bene valuit sed magis erat debilis quam antea.

Ut vires auferentur exhibebatur mixtura analeptica cum Extracto corticis Peruviani, sed quia urina nunc nimis parca mittebatur, petente ipsâ aegrotâ, pilulae solitae praescribebantur, quas iterum bono cum eventu assumsit.

Die 17 Maii 1809. Adeo volumine increverat abdomen et ita erat tensum, ab aquis intus collectis, ut operationem sextâ instituere vice oportuerit. Per illam 364 Unciae humoris eiusdem quam ante indolis evacuabantur. Induratio in abdomine, uti antea, ad tactum erat indolens, sed aegrotâ magis debilis deprehendebatur, quam post praegressas operationes, quare satis diu Decoctum Cort. Peruv. fuscum assumsit, una cum solitis pilulis. Quamvis tum urina satis large flueret, tamen denuo valde augebantur abdominis tumor et tensio, ita ut paracenthesis

Die 14. Aprilis 1810 denuo institueretur, quâ serosus liquor profundius coloratus, at sine odore ingrato ad 504 uncias emittebatur. Induratio in  
re-

regione hypogastricâ videbatur volumine aucta, et alia illi similis reperiebatur a parte sinistra, quae duritiae indurationem supra osia pubis percipiendam non aequabat, hinc metus oriebatur, ne forte simul affectum esset ovarium sinistrum: attamen medicatio alia institui non potuit, nisi illa, quâ vires optime conservarentur atque impedimenta in humorum serosorum circuitu, quantum fieri posset, tollerentur, quo scopo vinum medicatum cum Cort Peruv. et aliis stomachicis una cum solitis adhibebatur pilulis. Primis post operationem diebus urinae secretio copiosa erat; donec autem omnis inflammationis metus evanuerit utebatur Amygdalarum dulcium emulsione.

Quamvis igitur urina largâ satis quantitate evacuetur, tamen citius quam antea intumuit abdomen, ita ut iam 3 Octobris eiusdem anni die, adeo increverit illius volumen, ut paracentesis diutius sine periculo omitti non potuerit. Per operationem hanc 392 unciis humoris turbidi, infusum coffeae colore referentis, exitus conciliabatur. Post paracenthesin gravi dolore afficiebatur et debilis erat aegrotâ. Debilitas illa et sensus doloris in abdomi-



mine perstabant; alvum, quae antea bene deponebatur, nunc per clysmata solvere oportebat; interim usus corticis peruviani non negligebatur. Urinae excretio iterum aucta fuit, sed quia subito nunc magis abdomen intumescibat, paracenthesin instituere ob symptomata urgentia, summamque anxietatem, cogebatur vir clarissimus, quamvis maximus fuerit metus de exitu infausto.

Die 9 Februarii anni 1811. Operatio paracenthesis abdominis, nonâ peragebatur vice; nunc autem evacuabantur 572 Unciae humoris turbidi sanguinolenti, foetorem spargentis.

Debilissima post illam erat aegrotâ, et die 21 post operationem e vitâ decessit, morte per optima remedia demulcentia et roborantia non averteudâ.

*Sectio Cadaveris* sequentia obtulit. Apertis integumentis communibus incisurâ cruciatâ, sub peritonæo reperiebatur saccus membranaceus solito densior, in quo adhuc magna copia humoris sanguinolenti contenta erat, et in quem acus triquetra etiam penetraverat. Inter saccum hunc et peritonæum nullum accumulatum erat fluidum. Magnitu-

do eius tanta erat, ut omnia investiret abdomina-  
lia viscera, quae, illo remoto, sana in conspec-  
tum veniebant. In sacco adhuc quaedam quantitas  
liquoris continebatur: superficies eius interna inae-  
qualis erat, indurationes parvas monstrans, qua-  
rum nonnullae habitum cancerosum exhibuerunt,  
magnitudinem ovi columbini aequantes.

Dissecto prudenter sacco, patuit illum formari  
ab illâ peritonaci duplicaturâ, quam anatomici liga-  
mentum uteri latum dicunt, in quo ovarium dex-  
trum valde degeneratum et magnitudine auctum ob-  
servabatur, pugni virilis maioris volumen exhibens.

In fundi uteri parte superiori et exteriori aderat  
intumescencia dura, magnitudine ovi gallinacci ma-  
ioris, duritiae fere ossæ. Corpus uteri supra ossa  
pubis eminens, indurationem scirrhosam monstrabat  
et adeo volumine erat auctus uterus, ut introitum  
pelvis impleret, et cum vaginâ 5 librarum pondus  
superaret. Orificium uteri una cum vaginâ non  
induratum erat sed sanum.

Ovarium sinistrum solito maius et degeneratum  
deprehendebatur.

Uterus non solum magnitudine auctus erat, sed

et

et tuberculis induratis obsitus, ita ut incisio in illo, fere per cartilagineam partem facta videretur.

Intestina reliqua erant sana, sed ventriculus et alia viscera coarctata, propter diuturnam pressionem, quam ab expansione hydropicâ perpessa fuerant.

Hepar itidem parvum erat et in vesiculâ felleâ 43 calculi maiores et minores aderant, figurae plerumque triquetrae.

Vesica urinaria sana erat.

Pater igitur ex hac sectione, hic non adfuisse hydropem ascitem, sed verum hydropem saccatum ovarii, ut vulgo dici consuevit, rectius hydropem ligamenti uteri latî dicendum, una cum degeneratione utriusque ovarii et uteri partis.

#### OBSERVATIO TERTIA.

Tertiam hanc hydropis saccati ligamentorum uteri historiam, quam itidem Clarissimo Biculaud carissimo praeceptori debeo, imprimis hic etiâ referendam censeo, quia praeter hydropem illorum ligamentorum, et ovarii degenerationem, etiâ omentâ

degenerationis rarissimum et maxime memorabile exemplum exhibet.

Matrona M., mater duorum infantum, annos 54 nata, aegrotabat post annum aetatis 48, quo tempore fluxus menstruus, antea semper largior sistebatur. Menses scilicet eo tempore uno momento cessaverunt et de anxietate sub respiratione et appetitu prostrato queri incepit, una cum assumptorum superiora versus eiectione; alvus erat tarda, et parca secernebatur urina, abdomen tensum erat et in eo aliqua percipiebatur fluctuatio. His symptomatibus pilulae resolventes, e Gum. Ammoniac. Extr. Helenii, pulv. Scill. et Mass. pillul. Rufi oppositae iam fuerant, sub quorum usu omnia potius exasperari videbantur.

Pedes oedemate afficiebantur, et sensim magis intumuit abdomen, cum sensatione dolorificâ in latere dextro, cui vesicatoria absque bono eventu applicabantur; tandem respiratio molestissima et difficillima fiebat, ob abdomen maxime expansum, ita ut ad venae sectionem fuerit recurrendum, quâ peractâ, aliqua symptomatum remissio observabatur. Intumescencia abdominis perstabat atque originem

ab

ab insolita hepatis induratione ducere videbatur. Iubebantur itaque frictiones mercuriales cum sapone volatili, ut ille infarctus, quando id fieri posset, resolveretur; at frustra, dolor in latere sinistro etiam ingravescerebat, pedes oedematosi erant; sed in abdomine fluctuatio fere amplius non sentiebatur. Sub tali morbi decursu valde debilitabatur aegra, alvus non nisi clysmate solvebatur, urina erat parca ac turbida, tandem denuo fluctuatio in abdomine observari potuit, quare aegrotae artificialis aquarum evacuatio suadebatur, quam tamen operationem subire recusabat, antequam abdomen in immensum iam expansum fuerit volumen et ipsa fluctuationem perciperet.

Hac morbi conditione die 7 Februarii anni 1796. in consilium cum medico ordinario vocabatur Cl. Bleuland, atque aegrotam debilem et emaciatam invenit; imprimis marcor spectabilis erat in facie et extremitatibus superioribus, sed extremitates inferiores et abdomen praeter modum tuebant. Quamvis nulla expectanda videbatur sanatio, nec a paracentesi, nec etiam a maxime congrua medicatione, tamen summa anxietas et urgens inde

vitae discrimen, instituendam operationem suadere videbantur.

Die igitur 10 Februarii paracentesi evacuabantur 294 Unciae humoris viridescens cum striis brunneis; hac evacuatione respiratio utcumque liberior reddebatur, sed abdominis volumen paululum tantum minuebatur; distendebatur enim illud corporibus inaequalibus ac duris: quamvis medicamenta et alimenta nutrientia optima aegrotae porrigebantur, tamen adeo vires imminuebantur, ut die 15 Februarii placide exstingueretur.

Aperto sequenti die cadavere, reperiebatur in cavitate abdominis magna satis quantitas humoris serosi, profunde colorati, infusionem coffeae habitu referentis, odoris ingrati; in hypochondrio sinistro magnum aderat corpus, multis cellulis distinctum, viscera reliqua abdominalia tegens, atque cum ventriculi magnâ curvaturâ iunctum: ipse ventriculus parvus erat et contractus. Corpus memoratum caeteroquin ab omni adhaesione liberum erat, et videbatur omentum esse, magnitudine valde auctum et induratum; pondus eius erat undecim librarum. Interne ex multis cellulis compositum vi-

des

debat, humore viscido, variâ ratione colorato, plenis.

Uterus degeneratus erat, et ovarium sinistrum in maximum increverat volumen, cuius interna fabrica plane cum illâ omenti degenerati conveniebat, atque eius cellulæ humorem itidem viscidum, flavum, nigrum et albicantem continebant.

Ligamentum uteri latum in saccum amplum extensum reperiebatur, qui a contento quodam humore nigrante turbido extendebatur.

VETERUM DE MORBO NOSTRO  
OBSERVATIONES.

Veterum in observando merita ab omnibus agnoscuntur, atque diligenti observationis ingenio recentiores multum superant; hinc igitur factum fuit, ut in eorum scriptis plurimæ de variorum morborum generibus reperiantur observationes, quas itaque adire haud dubitavi, ut de nostri morbi causis atque naturâ certior fierem. Hæ tamen observationes sæpius minus perspicuæ nobis videntur, et aliquâ plerumque difficultate laborant, quæ potissimum oriri videtur

ex cognitione eorum minus accuratâ, de re anatomicâ, atque hac de causâ saepius fit ut de verâ morbi sede ac origine nobis sit dubitandi locus.

Quas tamen certas et indubias, apud veteres scriptores reperire potui de hydrope ligamentorum uteri observationes, maxime notatu dignas, hic breviter recensere animus est, ut illas deinde cum modo expositis nostris observationibus conferre possim.

I. Prima observatio auctorem habet Doct. Zwingerum. (1) Mulier 42 annos nata, sana, viro nupsit atque partum dolorosum et difficilem edidit, Grassante Basileae, quâ in urbe degebat, peste, hac corripiebatur, at ex illâ evasit; postea hydrope anasarco laboravit, ita ut aquae aliquando sponte ex cute effluerent, absque conspicuâ quadam apertura. Menses satis erant regulares, at ante mortem per unum alterumve annum deesse, vel irregulariter fluere inceperunt, postea plane cessaverunt, atque se gravidam censebat mulier, percepto dein  
in

(1) V. *Ephemerid. Med. Phys. German. Dec. II, Ann. 9. Obs. 136. p. 234.* aut et Th. Bonneti *Secretum Anat. Libr. 3. Sect. XXI. Obs. 71.*



in vaginâ pondere, obstetricem ad partum absolvendum arcessivit, at nulli sequebantur dolores, nullus foetus: tandem valde tumuit abdomen, respiratio difficillima reddebatur et tota exhausta supremum obiit diem.

Instituēbatur statim cadaveris exploratio: factâ paracenthesi, nullus prodibat liquor, aperto dein abdomine, saccus magnus, humore plenus, in conspectum veniebat, qui omnia viscera abdominalia tegebat; omnia illa parva, at sana erant.

Examinabatur dein saccus (1) ille, originem ducens ex membranâ externâ ovarii dextri, quae ligamentum uteri latum etiam format; quo aperto sacco, prodiit humor serosus, flavescens, acer, ad 720 Uncias; in sacci fundo aderat ovarium ipsum, degeneratum, variis cellulis distinctum, quae materiam viscidam diversi coloris continebant. In abdominis cavitate nulla seri quantitas continebatur.

2. Puella quaedam (2) sana, a primâ aetate tumo-

(1) *l. l. p. 237.*

(2) Iob. Meeckren, *Heel- en Geneeskundige aanmerkingen Hoofdst. 49. p. 286. Amst. 1668. Th. Bonnet Sepulcret. Anat. Lib. 3. Sect XXI. Observatio 7. additamenti ad Observation. 76. p. 476.*

more ventris laboravit; postquam pubera facta fuit viro nupsit; menstrua semper parca erant, postea vero infantem peperit, absque notabili ventris detumescentiâ: varia sine effectu assumsit remedia; sanitas integra satis mansit ipsaque agilis et hilaris erat, tandem vero ob summam debilitatem et tumorem ventris extincta est.

Aperto cadavere, ex sacco peculiari effluxere 125 librae aquae limpidae; nulla tum apparuere vestigia intestinorum, quae non detegebantur, antequam ipsae sacci membranae fuerant dissectae; viscera abdominalia sana et bene constituta erant, ita etiam ovarium, tuba sinistra, et uterus se habebant. Viscera haec omnia tamen solitam magnitudinem paulo superabant. „ Lateris dextri Testiculus (sunt ipsa Meeckreni verba) deficiebat, „ *vas deferens, et arteria* (per quam menstruus „ sanguis excernitur in non gravidis) alieno detinebantur loco, in ipsius enim peritonaei duplicaturam deferebantur.”

Ex his satis patet, ligamentum latum uteri saccum, ex quo humor fluxit, constituisse, ex ipsis enim vasis ovarii, quae in sacco reperta fuisse dicuntur.

cuntur, hoc sponte sequi videtur, de ipso ovario vero nil refertur; forte viscus illud suppuratione consumptum fuit, et pus una cum humore seroso evacuatum.

Eiusmodi exempla plura prolixè enarrata habet Bonnetus in Sepulcreto. (1). Ex quibus omnibus tandem unam, quae cum nostris observationibus magnam habet analogiam, addam.

3. (2) Nobilis matrona 35 annos nata, anno 20 nupta, nonâ vice partum edidit, tumor in ultimâ gravitate magnus in latere sinistro apparuit; erat ille durus et inaequalis, per tres annos continuo volumine augebatûr, abdomen simul valde extendebatur, ita ut tandem suffocata obierit.

E cadavere per paracenthesin et alias vias educerantur 50 librae aquae, quo facto, tumor, ovario degenerato constans, liberabatur a sacco ambiente, ex membranâ externâ ovarii et ligamento uteri lato

com-

(1) *Libr. 3. Sect. 21. Obs. 28. p. 487. et Obs. 81. p. 542.*

(2) V. Bonnet *l. l. Libr. 3. Sect. 21. Obs. 40. p. 491.* ex Epistola Cl. Carol. Drelincourt, Professoris Leidensis.

composito. Hoc sacco aqua continebatur. Tumoris vero pondus erat 7 librarum.

Viscera digestionì inservientia omnia sana ac integra reperiabantur.

Tumor erat inaequalis, figurâ ovalis, tuberibus atque sulcis distinctus. Intus (1) plurimis constabat cellulis; in quibusdam ex illis aqua erat et limpidissima et liquidissima, in aliis serum flavum, in aliis humor viscidus, ad instar mellis crassus, parum pellucidus, in nonnullis viscida materia sed pellucida, in aliis gypsea ac dura. Omnes vero illae cellulae fibris variis connectebantur.

Ovarium dextrum una cum utero et partibus vicinis sanum erat.

Hac in observatione illud praesertim mirum videtur, illam feminam durante omni morbi spatio satis sanam vixisse, et fluxum menstruum regularibus periodis fuisse perpessam.

4. Eiusmodi itidem est Riedlini (2) observatio  
in

(1) Bonnet. *l. l.* p: 492.

(2) *In Ephemerd. N. C. Cent. 7. Obs. 56. p. 113.*  
Morgagni *Epistola Anatomico-Medica* 38. Art. 64.  
*Libro III. p. 103. Edit. Patav.*

in femina, Uberkingae degente, quae iam per septennium tumore notabili abdominis laboraverat, variaque remedia frustra assumserat, cui tandem paracentesis fuit instituta, at sine ullo felici eventu. Postquam vero paulo post de vitâ decesserat, in cadavere hydrops ligamentorum uteri observabatur cum scirrhosâ ovarii sinistri induratione, at in eadem scirrhus uteri aderat quamvis illud viscus volumine non fuerit auctum, serum flavum magnâ copiâ in sacco continebatur, sub quo intestina latebant, quae omnia sana erat, omentum gastro-colicum fere disparuerat et marcidum erat caetera vero intestina omnia sana, neque aliquid praeternaturale in iis observandum.

Femina illa ante semper sana fuerat; sponte abdomen increscere incepit primo in latere sinistro, quo non obstante concepit, infantemque partu edidit absque decremento corporis, at potius aucto tumore.

5. Fere eadem videtur Maucharti (1) observa-

(1) Ioh. David. Mauchart *in Ephemerid. Natur. Cur. Cent. 8. Obs. 14. p. 267. Morgagni Epist. Anat. Med. 38. l. c.*

vatio, in feminâ, ex quâ post mortem 83 librae aquae educebantur et cuius dextrum ovarium degeneratum, et hydatidibus repletum, habebat pondus 8 librarum. In illâ etiam reliqua intestina sana erant. Videtur illa proxime ad primam meam accedere observationem.

6. Num vero ad nostrum morbum observatio Stalparti v. d. Wiel (1) pertineat dubito, plura tamen praegressa symptomata, praesertim irregularis mensium fluxus, qui post aliquot tempus prorsus evanuit id affirmare videntur. In duplicaturâ peritonaei, quae omnia tegebat viscera, 95 librae humoris serosi flavi continebantur, tubae Falloppianae aquâ plenae erant, uterus ac reliqua viscera sana. Ad partes superiores valde fuerat emaciata mulier, ipsaque passione hystericâ valde afflictâ: urinae excretio semper parca erat.

Magis tamen ad nostrum morbum quam ad simplicem hydropem peritonaei saccatum pertinere videtur, quia et ipse observator dicit illam maximam  
ha-

(1) Stalpart v. d. Wiel *Observation. rarior.*  
*Cent. 2. Obs. 28. p. 283.*

habere analogiam cum Cl. Tulpium (1) observatione, quam antea jam ex Meeckreno adduximus (2)

7. His omnibus et illam adiungere oportet morbi historiam, quam ex Targionio habet Morgagnius, (3) de matrona, quae talem hydropem per triginta quatuor annos tulit, regulari gaudente fluxu menstruo, postea vero crebris vomitionibus aliqua spirandi difficultate vexata, et superiore corporis parte extenuata, caeterum bene valens, ad ultimum vitae hebdomadem usque, stare se movere et decumbere in utrumque latus et dorsum potuit; aqua fluctuans satis facile dignoscebatur percussione abdominis. Post mortem ex facco evacuabantur centum et quinquaginta librae aquae.

Tandem his observationibus praeclaras illas a Duverneio (4) Juniori descriptas addidisse sufficiat. Duae erant mulieres, quae ambae hoc morbo-

(1) N. Tulpium *Observationes Medicae Libro IV. Cap. 44. p. 348. editio 6.*

(2) Iob. Meeckren *l. l.*

(3) *De Sedib. en caus. morb. Lib. III. Epistola 38. art. 64.*

(4) Duverney Junior, *in Histoire de l'Académie Royale des Sciences. Ann. 1703. Mémoires p. 163.*

borum genere laborarunt, quarumque primae ter paracentesis fuit instituta.

Saccus in primâ, omnia viscera abdommalia investiebat, extendebatur ab ossibus pubis ad quartam usque costam spuriam; originem ducebat a ligamento uteri lato sinistro, ita ut ovarium ipsum in sacco contineretur; ovarium ipsum hydatidosum erat, quae hydatides ruptae denuo novum formabant saccum, in quo multae percipiebantur cellulae humore viscido plenae. Humor serosus, qui ex istis saccis effluxit coloris fusco-brunnei erat, ac ingratum spargebat odorem. Reliqua viscera sana erant; in uteri fundo quaedam scirrhisitas percipiebatur. In alterâ (1) muliere fere eadem degenerationes observabantur, ab eodem hydrope, in eodem uteri ligamento sedem habebant, ovarium sinistrum volumine auctum et penitus scirrhosum erat; in latere dextro corpus scirrhoideum observabatur: in ipso ovario plurimae erant vesiculae, humore viscido varii coloris plenae; prouti saepius in his casibus fit, quemadmodum illud etiam in primâ meâ observatione animadvertimus.

Plu-

(1) *l. l. Mémoires p. 166 sqq.*



Plures tandem observationes notabiles de nostro morbo apud veteres de re medicâ exstant scriptores (1), quarum præcipuas hic retuli: caeteras vero, ne longior fierem, hic omittendas censeo, imprimis etiam, quia omnes fere cum iis, quae iam enarratae sunt, conveniunt.

RECENTIORUM DE NOSTRO MORBO  
OBSERVATIONES.

Apud recentiores longe minus frequentes de nostro morbo occurrunt observationes, quam apud veteres de re medicâ scriptores; hinc etiam factum fuit, ut ex illis paucas tantum tradere potuerim; illae vero, quas colligere licuit, observationes accuratissime fuere delineatae. Neque hoc mirum: veteres enim animo suo magis ad observationem, recentiores magis ad philosophica cuiuscunque doctrinae studia accessere; scilicet quemadmodum puerili et adolescenti fit aetate, ubi omnia ad observationem referuntur; ita iuvenes contra et qui ma-  
tu-

(1) Inter alias huc pertinet Pyer Imhoff *Ovarium Hydropicum: in Halleri Dissertat. Med. Pract. Vol. IV. No. 120. p. 375 sqq.*

turioris sunt aetatis magis philosophice tractant quarumcumque rerum studia. Idem quoque historia confirmat. Orientales, Graeci et Romani, in pueritiâ et adolescentiâ generis humani versantes, omnia videbant, et cum admiratione quâdam contemplabantur, observata dein posteris tradebant, illudque, ut in reliquis studiis, ita quoque fecerunt in medicis: hac nimirum ratione praeclara exstiter Hippocratis, Galeni, Aretaei, item Arabum, Rhasis et Avicennae scripta, quae ex accuratâ observatione curationum empiricarum et felicitum originem suam duxerunt. Postea exstiter Germanicae gentes et cum iis iuvenilis aetas generis humani. Artes et doctrinae ab his gentibus tractari ceperunt, cum his etiam medicina.

At vero uti in universo genere humano varii observantur cultus gradus, qui cum variâ hominis aetate aptissime comparari possunt, ita etiam in singulis gentibus hae aetates conspicuae sunt, ut quaeque gens suam habeat pueritiam, adolescentiam, et virilem aetatem.

In primo hoc et secundo stadio idem observationis studium apud gentes germanicas invaluit;

in-

inde praeclaræ eorum, ac maiori, quam apud antiquos, cum iudicio relatæ observationes, quæ præsertim etiam ad medica pertinent studia. Hinc factum fuit, ut nobis his de temporibus tam variæ supersint observationes.

Observandi illud studium postea minus apparet, sed studia omnia philosophica magis exstitere; omnia accuratius perscrutari, atque in rerum causas inquirere nostri ævi est studium; hinc tot originem duxere hypotheses et systemata, quibus etiam in arte medicâ non caremus: in illo iam studio philosophico indagandi et inquirendi, etiam causam me invenire puto, ob quam recentiori tempore paucae reperiantur observationes, plura vero systemata et hypotheses.

Iam, his præmissis, ipsas recentiorum videamus observationes.

1. Prima observatio auctorem habet Cl. R. Martin. (1) Puella 22 annos nata, antea sana, ineunte anno 1768, tumore corripitur ventris sensim incre-

cen-

(1) R. Martin in *Act. Suec. an. 1771: in de Geneesk. Verh. van de Koninkl. Sweedsch. Acad. uitgeg. door J. B. Sandifort; Tom. 4. p. 376 377.*

cente, et tandem in enorme volumen expanso. Praecedenti anno virum admiserat, nec tamen gravida inde facta fuit, docente fluxu menstruo regulari et nullis gravitatem indicantibus symptomatibus praegressis.

Ventris tumor a partibus inferioribus abdominis inceperat, durus erat et cito increverat, respiratio naturalis erat, neque aegrota valde sitiebat. Aliquando ex expanso abdomine aqua exstillare observabatur.

Paullo ante mortem, summa cruciabatur anxietate, cum vomitionibus repetitis et siti inexplebili; per intervalla borborygmi in ventre observabantur, quibus omnibus sensim auctis, placide saties e vita decessit.

Inspiciebatur sequenti die cadaver, et primum quidem instituebatur paracenthesis operatio. Introductâ acu triquetra, statim magna copia humoris serosi subflavi evacuabatur, qui humor etiam gelatinosi et viscidî quidquam continebat.

Aperiebatur dein abdomen; saccus amplus observabatur, ex quo, postquam incisura in eo facta fuerat, multum seri prodibat. Saccus varia

corpuscula dura continebat, intus humore viscido varii coloris repleta.

Dissecto illo sacco membranaceo-fibroso, viscera in conspectum venire; omnia ad digestionem pertinentia sana erant, quamvis valde e situ naturali secessissent et partem posteriorem et lateralem abdominis occuparent.

In pelvi minori saccus liber erat ab utero, quod attinet ad eius fundum, corpus, et collum. Uterus hic sanus perfecte erat, imo ovarium dextrum cum tubâ Fallopiânâ et fimbriis in eâdem versabantur conditione. Sed deërat plane ovarium sinistrum, cum ligamento lato et tubâ, cuius indicia ad uteri latus omnino observabantur, quo etiam factum fuit, ut uterus sinistrorsum et superiora versus obliquum haberet situm; sed ipsae hae partes in saccum descriptum transierant, ita ut ligamentum latum cum tubâ et ovarii membranâ exteriori saccum formarent, in quo ipsum scirrhosum continebatur ovarium, eâdem ratione ac in primâ meâ vidimus observatione.

2. Altera observatio debetur Cl. Sandifort. (1)  
Mu-

(1) E. Sandifort *Exercitationes Academicæ Capit. 10. p. 95 sqq.*

Mulier 50 annorum, ante octo annos, post quintum partum, hydropē laborare incepit, quo nullis potuit liberari remediis; auctā subinde aquarum quantitate, ad paracenthesin confugiendum fuit, prodibat maxima aquae gelatinosae copia, quā evacuata, varia loca dura tactu dignoscebantur, quae dein resolvi imminuere potentissimis etiam remediis non potuerunt, sed quorum volumen magis augeri videbatur. Intra octo annorum spatium, operatio paracenthesis septies et decies fuit instituta, et ultra mille aquae libras fuisse eductae, quae semper coloris flavi, ac gelatinosae fuit consistentiae.

Per totum illud spatium, praeter respirationem difficiliorem, ab enormi ventris tumore, nulla fere molesta apparuere symptomata, functiones digestrices bene vigeant, non valde sitiebat ac urinae excretio naturalis fuit. Corpus tamen sensim emaciabatur, et vires valde frangebantur, ita ut, morbo diutius resistere impares, victae succubuerint, atque infelix ipsa diem obierit supremum.

Aperiebatur post biduum cadaver, ut morbi sedes accuratius investigaretur; atque sequentia praecipue in sensum venire.

Aperto abdomine effluxere circiter 20 librae aquae mixtae, materiâ flavicante, gelatinosâ et viscidâ: conspiciebantur dein varia tubercula maiora minoraque eodem liquore plena. Omnia haec peculiari continebantur sacco.

Saccus ille omnia tegebat viscera, quorum nullum conspiciebatur, antequam latus internum sacci fuerit dissectum; omnia viscera sana erant, et non multum de naturali secesserant sede. Ipse saccus a parte superiori, ad costas spurias, a parte vero inferiori, usque ad ossa pubis perveniebat, quibus iungebatur.

Ex his probabili ratione concludendum videtur, aquarum copiam sedem habuisse in ipsâ illâ peritonaei duplicaturâ, quae ligamenta uteri lata format, ovarium et tubas Fallopianas investit, prouti ex harum partium fabricâ satis notum est; corpora vero indurata illa fuere ipsius ovarii partes hydatidosae ac degeneratae. Ovarium enim suppurationem sui generis hic contraxisse videtur, prouti idem fere in omnibus aliis vidimus observationibus, de quâ in alterâ etiam parte paulo plenius erit agendum.

3. Tertia eaque momentosissima observatio est

illa, quam refert Doct. Hartog, (1) Amstelædæmensiam ante aliquod tempus medicus eximius, præmaturâ eheu morte abreptus, quæ observatio accuratissime et prolixè enarrata exstat.

Fœmina 56 annos nata, laborabat immensâ abdominis intumescentiâ, absque ut tamen cachexia quaedam subesse videretur. Actiones naturales bene se habebant, neque-incommoda percipiebat, nisi illa, quæ semper ex tali tumore abdominis sequuntur, illius enim tunc temporis (mense Maii anni 1807) ambitus iam erat 61 pollicum.

Antea nupta fuerat, sed nunquam infantem pepererat, vel de graviditate suspicionem aluerat, fluxus menstruus ei fuerat regularis at perparcus, imprimis postquam anno ætatis 27, magno terrore affecta fuerat. Usque ad annum 45 perstabant menstrua. Illis cessantibus, aliquando de molestâ in abdomine sensatione queri incepit, tanquam si corpus

(1) *Waarneming van Hydrops Ovarii door F. Hartog: in de Bijdragen tot de Theoretische en Practische Geneeskunde, door het Genootschap Arti Salutiferae te Amsterdam, Decl. I. 1ste Stuk p. 97 sqq. en 2de Stuk p. 124 sqq.*



pus aliquod intus moveretur. Magna intumescencia abdominis tantum quatuordecim ante obitum annos inceperat.

Examine abdominis facto, nil duri in eo nec praeternaturalis percipiebatur, praeter manifestam fluctuationem, quare morbus optimis tractabatur antihydropicis, roborantibus et excitantibus, at sine ullo effectu. Urinam exercebat crassam, profundo coloratam, absque sedimento, excretio ipsa quandoque erat dolorosa.

Omnibus interim frustra tentatis, et praecipuis auctis symptomatibus, cum maiori adhuc abdominis expansione, et summâ existente aegrotantis anxietate, confugiendum fuit ad paracenthesin abdominis, quâ 37 librae humoris subfusi, coloris chocolatam referentis, inodori, exercebantur.

Postea vero saepius eadem operatio requirebatur, quae intra biennium octies instituebatur, et quâ singulis vicibus inter 14 et 44 librae aquae e corpore eliminabantur; tertiâ vero vice non solitus brunneus humor, sed 14 evacuabantur librae flavescantis asciticorum seri.

Paucis ante obitum hebdomadibus, vires valde

imminuebantur, appetitus delebatur, anxietates summae aegram vexabant, una cum vomitu et alvo tardâ. Interea denuo valde increverat abdomen, et ipsa paracenthesin postulabat, quam medici ob virium languorem recusabant, quae verò tandem, ob suffocationis metum, denuo instituenda fuit. Hac operatione tunc 34 librae aquae profunde coloratae, subfuscae evacuabantur, cuius odor nunc valde erat ingratus, aegrotâ sub operatione syncope corripiebatur, attamen ex illâ evasit, sed fractis et sensim sensimque magis exhaustis viribus, tribus post operationem hebdomadibus obiit, 4 Iulii die anni 1809.

Perscrutabatur sequenti die cadaver, quod valde emaciatum apparuit: primo magna quantitas seri hydropicorum evacuabatur, dein in abdomine sequentia inveniebantur. Magnum primo se oculis obtulit corpus, formae ovalis, totam implens abdominis cavitatem, quod fibrarum et pseudomembranarum ope, cum peritoneo hic et illic iungebatur, fluctuatio in eo percipiebatur et ad partem inferiorem quaedam observabantur indurationes.

Corpus illud ligamenti ope coniunctum erat

cum

cum utero, qui situm obliquum habebat, et aliquomodo durus et magnus erat. Situs ille uteri valde videtur analogus illi, quem in primâ nostrâ vidimus observatione.

Corpus ipsum continebatur sacco membranaceo, corpusculis variis a parte internâ obsito, cum illo sacco corpus illud interne iunctum erat. Tubâ Fallopiana sinistra in ligamentum rotundum erat conversa, ovarium huius lateris disparuerat.

Aperto hoc corpore, ex sacco quo continebatur effluxere 13 librae humoris, antea descripto similis; in eius superficie internâ plurimae erant vesiculae plenae humore viscido, et variâ ratione colorato.

Viscera abdominalia reliqua sana erant omnia.

Quando hanc observationem cum primâ meâ conferimus, facile maximam inter utramque analogiam animadvertemus. In utrâque saccus formatur a membranâ ovarii externâ et ligamento uteri lato; in utrâque ovarium ipsum degeneratum erat, in ultimâ tamen eius volumen adhuc maius fuisse videtur; in historiâ morbi utriusque feminae fere eadem observantur symptomata. Hinc etiam non dubitavi, illam observationem ad ligamenti uteri lati  
hy-

hydropes referre, quamvis de illo ligamento minus distincte sit sermo: ipse auctor hydropem ad saccatum refert (1)

4. Ultimo loco inter recentiorum observationes nuperrime factas, illa hic referenda videtur, quam ante paucas hebdomades, praenaturâ morte ereptus expertissimus de Wind (2) communicavit.

P. v. d. H. . . . . uxor viri cuiusdam, Medio-burgi degens, ante aetatis annum 29, quo matrimonium inivit, semper sana fuerat; erat tunc annus 1797. Anno 1799 gravida facta, mense Octobris filiam peperit et gravi corripiebatur metrorrhagia; obstetrix partui adstans, illam, partus labore defatigatam, et sudore madidam, frigori diutius quam par est, exposuit, nec post partum fasciam idoneam abdomini circumiecit.

Post illud tempus abdomen sensim increscere cepit; at per multos annos satis bene valuit mulier, et duos infantes peperit, ultimum mense Novem-  
bris

(1) *l. l. p. 2. p. 125.*

(2) B. Dobbelaar de Wind, *Waarneming van eene langdurige en buitengewone Waterzucht: in de nieuwe Verhand. van het Zeeuwsch Genootschap der Wetenschappen, Deel 3. St. 2. p. 103 sqq.*

bris 1807, quo tempore abdominis diameter iam erat sex pedum et unius pollicis. Eo tempore nulla manifesta percipiebatur fluctuatio, nec de hydrope certiores erant medici. Anno 1811 illa percipiebatur, et de paracentesi instituendâ cogitabatur, quae tamen operatio non instituebatur, quia variae erant medicorum de morbo sententiae.

Dies 28 Aprilis 1814 miserae illi mulieri infaustus et ominosus fuit, tempore vespertino ipsa in terram cecidit, quo lapsu femoris frangebatur sinistrum os, prope trochanterem maiorem. Propter maximam abdominis expansionem, difficillime reponebatur fractum os, quod tamen summâ curâ perficiebatur. Optimâ non obstante curâ, sequenti die mors miseris finem imposuit.

Die 30 Aprilis examen cadaveris instituebatur; ambitus abdominis erat 7 pedum cum uno pollice mensurae Medioburgicae, aqua iam ex ipso exstillabat abdomine, factâ in ipso ventre aperturâ, plus quam 220 mensurae aquae evacuabantur (220 pinten) fere 3080 Unciae, quantitas enormis, cuius nullum, apud scriptores, quantum scio, exstat exemplum

plum. Humor ille subfuscus erat et a sero asciticorum valde diversus.

Internae abdominis partes sequenti se habebant modo; hepar, vesicula fellea, et ventriculus sani erant, quamvis alte in epigastricâ regione collocata, pancreas parvum et induratum. Omentum plane degeneratum, in massam carnosam increverat, simili ratione ac in tertiâ meâ observatione. Intestina sana satis erant, valde exigua, et in regione lumbari iacebant.

In pelvi minori uterus sanus erat, cum ovario, tubâ, et fimbriis sinistris, ovarium dextrum una cum vicinis partibus plane deërat, et ad eius sedem, magna copia liquoris visceris, tenacis, gelatinosi in peritoneo observabatur, ita ut statuendum videatur, hic antea adfuisse hydropem ovarii et ligamenti uteri, et aquam in eius sacco fuisse contentam, postea vero, incrementum sensim magis humore illo, saccum fuisse ruptum, et liquorem illum in abdominis cavitatem effusum. Antequam saccus ruptus fuit, certe alte in abdomen penetravit, atque intestina omnia ex solito eorum expulsi loco, unde factum fuit, ut nunc etiam alienum occuparent situm.

His

His omnibus nunc relatis, in alterâ huius disputationis parte, ex istis varia elicere conabor corollaria theoretico-practica, ut de verâ huius morbi naturâ et origine certum vel saltem probabile iudicium ferri possit.



PARS

## PARS ALTERA.

### *CORROLARIA THEORETICO - PRACTICA, EX PRAECEDENTIBUS ELICITA.*



Quum igitur hactenus varias de nostro morbo observationes proposuimus, nunc operae erit pretium, ex illis corrolaria quaedam elicere, quibus morbi natura, causae et curatio magis collustrentur, quare ipsas has, antea iam traditas observationes, accurate denuo adire oportebit. Ut haec omnia igitur rite peragantur agendum erit,

- I. De Dignosi morbi ab aliis affectionibus hydropicis abdominalibus.
- II. De Causis,
- III. De Natura,
- IV. De Curatione eiusdem morbi.

Antequam vero ad ipsius argumenti expositionem accederem, primo intuitu, de ipsâ peritonaei

struc-



structurá, et eius in pelvi decursu agere constitueram, verum dein ad praeclara anatomicorum opera (1) animum advertens, hoc supervacaneum habui, imprimis etiam, quia amicissimus mihi, et doctissimus v. Leeuwen (2) in dissertatione inaugurali, nuperrime tam accurate de peritonaeo egit.

I. *Diagnosis.* Omnis, quae iusta morborum instituitur diagnosis, quantum fieri potest perfecta et omnibus numeris absoluta esse debet, ita ut singula morbi symptomata ab iis, quae in alio eiusdem generis morbo occurrunt, accurate distinguantur; hinc imprimis operae pretium est, morbum nostrum, a maxime affinibus hydropis speciebus dignoscere: quare diagnosis nostrae hydropis speciei instituere conabor, 1. *A simplici ovarii hydrope;*  
 2. *Ab alio hydrope saccato peritonaei simplici;*  
 3. *Ab affectione uteri hydropicâ;* 4. *Ab ascite.*

Antequam vero ad ipsas notas diagnosticas exponendas transeam, primum observare mihi liceat,

li-

(1) Conf. inter alios A. F. Hempel, *Anfangsgründe der Anatomie P. 2. edit. 3, Gott. 1818.*

(2) D. G. v. Leeuwen, *Specim. Med. inaug. de Peritonaeo eiusque inflammatione, Trai. ad Rh. 1818. p. 32.*

ligamentorum uteri hydropem nunquam solum observari, sed semper degenerationem ovarii eiusque hydropem vel hydatites comites habere: neque hoc fere aliter fieri potest; peritonaei enim illa duplicatura, quae ligamenta uteri lata formatur, etiam membranam ovarii exteriorem constituit; hae partes situ et fabricâ convenientes, interno iunguntur nexu; hinc fit, ut si una pars afficiatur, altera etiam per sympathiam patiatur; scilicet cum, docente observatione, partes remotiores, et quae fabricâ plurimum a se invicem differunt, sympathice afficiantur, quemadmodum ita sympathiam existere inter uterum et mammas et inter ipsum illud organum et ventriculum, notissimum est; facile patet, alias corporis humani partes, quae intimo iunguntur nexu, et sibi invicem proxime appositae sunt, etiam simul affici debere. *Experientia* idem affirmat, illudque in omnibus nostris observationibus animadverti potest; in illis enim, in quibus ovarium deficiebat, illud viscus, certissime penitus, vel suppuratione consumptum (1), vel dilaceratum fuit ab enor-

mi

(1) Meeckren *et* Tulpius *l. l.* Pro parte destructum erat ovarium in observatione Cl. Martin, *l. l. p. 384.* Sandifort *l. l. p. 99.*

mi copiâ aquarum contentarum, quae deinde in ipsum cavum abdominale fuere effusae. (1)

Tali autem modo ovarium, absque vitae discrimine, penitus posse destrui, non tantum exempla brutorum docent, quorum feminae quotidie ab imperitis etiam hominibus, rudi operatione, felicem tamen exitum plerumque habente, castrantur, sed et confirmat operatio Chirurgica, quâ feminae humanae illa ovaria, plus semel, tuto fuerunt excissa. (2)

1. Diagnosis hydropis ligamentorum uteri *a simplici hydrope ovarii*. Hydrops ovarii simplex ille mihi videtur dicendus, in quo humor praeternaturali secretionem contentus, in ipsa ovarii substantiâ internâ effusus deprehenditur; sive humor ille

li-

(1) *Verh. van het Zeeuwsch Genootsch. l. l. p. 119 en 120.*

(2) Dextrum ovarium ita feliciter sectione sublatum legitur: V. *Histoire de la Société Royale de Médecine, An. 1783 p. 296, vel Auserlesene Abhandl. für pract. Aerze T. XV. p. 489.* Utrumque ovarium sponte extus prodiens, in iuvenulâ extirpavit Cel. P. POTT, quod exempl. retulit quoque Exp. THEMME in egregiâ *Diss. de Mensibus ex materia quâdam peculiari, ovariiis secretâ, oriundis, L. B. 1781 p. 42.*

libere in ovario contineatur; sive ipsum illud organum variis teneatur hydatidibus, prouti id saepius fieri solet; sive utraque species combinata adsit. (1)

Hydrops ovarii solus fere non dignoscitur, nisi sensatione ponderis gravantis in abdomine, initio morbi, cum minori abdominis intumescentiâ, alterum eius latus tantum occupante, et nullâ sentiendâ fluctuatione, quare ille hydrops ab alio ovarii vitio, nullâ fere ratione dignosci potest.

Hydrops ligamentorum et ovarii, ab eâ specie discerni posse videtur, praesertim ubi aliquomodo increverit, maiori volumine abdominis ac magis minusve notabili fluctuatione, ubi parietes sacci non valde sint crassi. Fluctuatio in alterâ specie, nempe hydrope ovarii simplice, non dignoscitur, quia ipsa pars nimis profunde in abdominis cavitate haeret, atque ipsi ovarii parietes nimiam resistantiam offerunt, quâ fit, ut humor contentus contra manum prementem pelli nequeat.

Ova-

(1) Conf. exempluma Cl. Kelch in *Hufeland, Neues Journ. d. pract. Heilk. T. 18. P. 2. p. 194 sqq.*

Ovarium hydatidosum nullo modo discerni posse recte dicit Richter. (1) Neque singulae hydatites tactu explorari posse videntur.

Notae utrorumque diagnosticae non perfecte adhuc diiudicari possunt, quia plerique scriptores, sub eodem titulo, diversas has morborum species comprehendere solent.

2. Hydropem nostrum *a simplici peritonaei hydrope saccato* etiam dignoscere oportet. Utrique speciei plura sunt signa communia, praesertim illa, quae ad morbosam conditionem praegredientem pertinent. Dolor in saccato peritonaei hydrope ita fixus esse non solet, quam saepius observatur in iis, quae hydrope ligamentorum laborant. (2)

Magis dein ad latus unum vel alterum abdominis intumescencia incipit, ita saepe, ut tumor supra os ileum emineat, (3) imo maius acquirat volumen, et in abdomen prorsus elevetur; (4) neque  
ita

(1) Richter *Specielle Therapie* T. 3. p. 121.

(2) T. Hartog *Waarn.* l. l. p. 100.

(3) Richter *l. l.* p. 128.

(4) *Observ. mea* 1. *Ephemerid.* Dec. 2. l. l. Hartog *l. l.*

ita cito augeri videtur humoris contenti copia, ac in sacco simplici, quamvis in complicatione cum hydrope ascite, ea humoris accumulatio citius procedat. (1)

3. *Hydrops Uteri* variis etiam notis a nostro morbo distingui potest. Differunt binæ hæc hydropis species, primo loco, situ. *Hydrops uteri* semper super ossa pubis initio eminere solet. (2) Noster vero morbus sedem magis ad unum alterumve latus habet, uti iam diximus; tumor dein magis frigidus est in hydrometrâ, et a corporis calore superatur eius temperatura, id quod in nostro morbo non obtinet; tandem in *Uteri affectione hydroptica*, sæpe sensatio adest, quasi uteri oriretur prolapsus, (3) et notabilis observatur ostii uterini mutatio, quando illud digito exploratur, ostium scilicet, magis tenue, contractum, et clausum observatur, cessante ut plurimum fluxu menstruo,

(1) I. P. Frank *Epitome de curandis homin. morb.* Lib. 6. P. 1. p. 316.

(2) F. F. G. Eggert, *uiber die Wassersucht*, Leipz. 1817 S. 465. p. 434.

(3) Eggert, *l. l.*

struo, cuius loco fluor saepe albus suboritur. (1) Omnia illa symptomata in hydrope ligamentorum uteri deficiunt, et quamvis aliquando fluxus menstruus sistatur, tamen illud non semper fit, (2) neque eius loco tunc fluor albus observari solet.

4. Tandem nostri morbi *ab Hydrope ascite* accurata instituenda est diagnosis. Quare symptomata utriusque hydropis speciei paulo plenius mihi exponenda videntur.

Hydropes fere omnes, praecipue vero Ascites, inter morbos cachecticos ab omnibus scriptoribus medicis (3) iure referuntur, summam enim, (si anasarcam excipias, morbum scarlatinum aliquando insequentem, ac tum nonnunquam naturâ suâ ad acutos pertinentem morbos) universi corporis de-

(1) C. Sprengel, *Handbuch der Pathologie edit. 3.* Leipf. 1810 T. 3. §. 637. p. 401.

(2) Morgagni *Epist.* 38. art. 64. Meeckren l. l. Martin l. l.

(3) Ger. van Swieten, *Comment. in Boerhavi aphorismos* T. 4. p. 115. Sprengel, *Handb. d. Path.* T. 3. §. 556. p. 345. Frank *Epitome Lib.* 6. p. 137. Richter *Specielle Therapie* T. 3. p. 20. Eggert l. l. §. 9. p. 11.

debilitatem denotant, et semper fere in iis fluidorum mixtio depravata observatur.

Ascites semper incipit cum reactione vitali imminutâ, atque symptomatibus inde derivandis; inde appetitus fit depravatus, animus depressus, facies languida, pallida, habitus totius corporis pravus cum excretionem urinae profunde coloratae, sedimentum arenaceum deponentis.

Praesentiam et aquae accumulationem primum annunciat oedema pedum, qui serosus tumor sensim magis superiora versus adscendit, ita ut tandem aqua in ipsum abdomen effundatur, atque per universam eius cavitatem aequaliter dispergatur; primis quidem morbi stadiis aqua in infimo ventre accumulatur, dein abdomen aequaliter expanditur. Ubi aqua ad umbilicum pervenerit, fluctuatio percipitur, quando scilicet una manus abdominis lateri applicatur, alterius vero manus digitis ipsum abdomen percutiatur, collisio humoris, contra internas abdominis parietes, manu ventri applicatâ, percipitur. Ubi vero ad maximum gradum pervenerit morbus, aegrotantium corpus et imprimis partes superiores valde emaciantur, dum inferiores oedematose turgeant, urina valde parca emit-



emittitur, abdomen dolet, digestio adhuc magis depravatur, omnia ingesta vomitu statim saepe reiiciuntur, vel maximas pariunt anxietates, tandem accenditur febris hectica, et mors sequitur inter symptomata apoplectica, epileptica vel suffocativa, aliquando ortâ intestinorum gangraenâ. (1)

Serum asciticorum quod ex abdomine naturâ vel arte eliminatur, fere semper est tenue, coloris subflavicans vel rubicundi. (2)

Longe differt a decursu morbi ascitici hydrops ligamentorum uteri, uti iam observandi fuit occasio; morbus cum ponderis gravantis in abdomine sensatione incipit, (3) intacta ut plurimum sunt organa digesticia, neque ulla ex his incommoda percipiuntur, (4) uti dolores cardialgici, vomitus vel anxietates post pastum. Sanitas saepe usque ad ultimum vitae halitum, praeter tumorem abdomi-

mi-

(1) Richter *Speciell. Ther. T. 3. p. 26 sqq.*

(2) Sprengel *l. l. 5. 693. p. 398.*

(3) Hartog, *Waarn l. l.*

(4) *Observ. mea 1 et 2. Ephemerid. Germ. Dec. 2. ann. 9. l. l. Meeckren l. l. Bonnet l. l. Obs. 40. Morgagni Lib. 3. p. 103. Martin l. l. Dobb. de Wind l. l.*

minis molestum, satis integra manet. In aliis status cachecticus supervenire observabatur, cum notabili emaciatione, sed non nisi ultimis temporibus, et ubi doloribus et anxietatibus valde vexata fuerit aegrotata. (1) Morbus noster decursum longe diuturniorem habere solet, quam ascites, ita ut hydropes illi saepe per longam annorum seriem ferantur. (2)

Tandem etiam attendi meretur ad differentias seri vel humoris evacuati: quod in asciticis excernitur, serum, flavum vel rubicundum, uti vidimus, esse solet: ille autem humor, qui in nostro morbo evacuatur, fere semper est coloris subfusci vel brunnei, saltem obscurioris, quam in asciticis: illam etiam observationem Expertissimus fecit Duverneius. (3) Dein humor in ligamentorum uteri hydrope semper plus minus est gelatinosus, (4) cum in ascite magis sit tenuis.

## II.

(1) *Obs. 1. Eph. Dec. 2. Morg. Lib. 3. art. 64. Sandifort l. l.*

(2) *Meeckren l. l. Ephem. Germ. Cent. 7. Obs. 56. Dobb. de Wind l. l.*

(3) *Histoire de l'Acad. Royale des Sciences l. l. p. 168 sqq.*

(4) *Conf. varias Observationes plus semel iam allatas.*

II. *Causae* a plerisque auctoribus medico-pathologis, praeunte celeberrimo Gaubio (1) in *praedisponentes* et *occasionales* dividi solent, quibus causis, omnia, quae morbum producere possunt, facile comprehenduntur, quare ab illâ divisione secedere, incongruum ducerem.

1. Causae praedisponentes vel *προηγούμεναι* illae dicuntur, quae ipso corpori humano inhaerentes, illud aptum reddunt, morbum natâ occasione suscipiendo (2); in nostro morbo sunt vel *naturales*, in corpore sano collocatae, vel *praeternaturales*, a praegresso iam vitio originem ducentes.

Causa praedisponens naturalis in nostro morbo est ipsa fabrica ligamentorum uteri. Formantur illa a peritonaei duplicaturâ, ex duabus lamellis compositâ, quae supra uteri corpus expanduntur, ita ut una harum lamellarum partem posteriorem corporis uteri, altera vero eiusdem organi partem anteriorem investiat, postquam illae lamellae uterum investire, denuo ad se invicem accedunt, et ligamenta uteri lata formant, quibus ipse uterus in sede sua continetur.

Cum

(1) *Instit. Pathol. Medicin. Editio 3. §. 59. p. 25.*

(2) Gaub. *l. l.*

Cum ligamenta lata uteri ita a peritoneo formentur, quod ad membranas pertinet serosas, (1) in quarum parte internâ, semper ab orificiis vasorum exhalantium, secernitur humor, qui deinde ab absorbentibus reducitur vasis, (2) hinc facile patet, illa ligamenta eâdem gaudere structurâ, quae ipsa est causa praedisponens naturalis morbi. Humor enim, qui semper secernitur, si quâcunque de causâ a vasis absorbentibus non reducatur, et ab exhalantibus semper nova eius advehatur quantitas, tandem accumulatur et tumorem format hydropicum.

Causae praedisponentes praeternaturales vel morbosae difficiliter erui posse videntur, et in plurimis observationibus de iis nil effici potest, quemadmodum in illis, in quibus morbus sponte apparuit. (3)

Nonnullae feminae, de quibus monuimus, variis laboraverant morbis, ita mulier in primâ meâ obser-

(1) X. Bichat, *Traité des membranes, editio altera* Paris 1802. p. 76.

(2) Bichat *l. l.* p. 82.

(3) Meeckren *l. l. Ephemerid. Nat. Cur. l. l. Cent. 7. Obs. 56.*

servatione, febre intermittenti diurnâ, aetate iuvenili, laboraverat, post illam vero menstrua parcius fluere inceperant. Alia (1) peste affecta fuerat et postea anasarcam contraxit. Alia nonies infantem partu edidit. (2) Quaedam (3) primum post partum, gravi corripiebatur metrorragiâ, ac dein frigori fuit exposita, unde forsân ovarii inflammatio ac dein hydrops.

Ita omnes illae causae debilitantes symbolam suam ad producendum morbum conferre posse videntur, sive illae sint universales, in toto corpore, affectione morbôsâ laborante, collocatae, sive particulares, in partibus affectis sedem habentes.

*Causae Occasionales*, vel *προκαταρκτικαί* dicuntur illae, quae praedisponentibus supervenientes, has excitant et una morbum pariunt. (4)

Inter has causas primo loco inflammatio ipsius ovarii occulta videtur referenda, a variis eius causis orta. Ubi enim ovarium tumere et indurari inci-

(1) *Ephem. l. l. dec. 2. Ann. 9. p. 234.*

(2) *Bonnet l. l. Lib. 3. Sect. 21. Obs. 40.*

(3) *Dobb. de Wind, l. l.*

(4) *Gaub. l. l.*

cipit, ipsa ligamenti uteri, quae intimo cum exteriori ovarii membranâ nexu iunguntur, saepe una inflammantur, et eorum laminae a se invicem recedunt, quo facto, cum ovarii membranâ saccum formant, quo ipsum continetur ovarium; vasa absorbentia in functione suâ impediuntur, atque hac ratione hydrops existit.

Alter causarum occasionalium fons, ille salutari meretur, qui ipsam ovarii degenerationem et tumorem producere potest. Huc spectant laesiones externae, lapsus in terram, praevio abdomine, vel contusio eius; gestatio onerum graviorum; congestiones repetitae ad ovaria; affectiones sympathicae ovariorum cum ipso utero, quare malum saepe in iis observatur, quae fluxus menstrui anomaliis laborant; hinc etiam in omnibus fere casibus allatis, vel ipse ille fluxus primis morbi temporibus valde fuit immiautus, (1) ac dein prorsus cessavit, vel menstrua iam a primâ aetate, admodum parvâ quantitate fluxerant. (2) Pertinent huc porro,

(1) *Conf. Obs. 1. Stalp. v. d. Wiel l. l. Ephemer. l. l. Dec. 2. An. 9.*

(2) *Obs. 2. Meeckren l. l. Hartog l. l.*

ro, scirrhi et indurationes ipsius uteri, quas etiam in nonnullis nostri morbi casibus observavimus (1), dein partus difficiliore cum haemorrhagiis (2); abortus, et quae plura hic referri possunt. (3)

Quum tantus igitur sit causarum occasionalium numerus, cum sympathicarum tum idiopathicarum, et tanta ipsius organi, in quo morbus haeret, praedispositio, mirum utcunque videri debet, non plures de illo morbo dari observationes; verum non omnes huius morbi casus aequae facile dignosci possunt, imprimis, quando morbus in primo tantum est stadio, ut iam antea nobis observandi fuit occasio; dein ex variarum feminarum, quae hydrope pereunt, cadaveribus, pauca tantum perscrutari licet; hinc saepius certe talis morbi historia ignota manet, quae caeteroquin detegeretur, et lumen obscurae huic materieri ulterius adiacere posset.

His recte perpensis, de *Prognosi* facile quid addi

po-

(1) *Obs 2 et 3. Hist. de l'Acad. Royale des Sciens. l. l. Hartog l. l.*

(2) *Dobb. de Wind l. l.*

(3) *Richter Spec. Ther. l. l. p. 130.*

potest; illa scilicet in nostro morbo satis infausta formanda videtur. Morbus enim non semper aequè facile dignoscitur, nisi in proveciori eius gradu, quare remedia efficacia, tempore congruo saepius non exhibentur. Ipse morbus, quamvis inter illos, qui statim periculum inferunt, recenci non possit, quia saepius per plures annos absque magno fertur incommodo, gravis est, et tandem cachexiam variam et mortem inducit. Prognosin dein magis infaustam reddere solet aetas iam magis provecita illarum, quae hoc morbo afficiuntur, in quâ nimirum aetate, excretiones naturales et imprimis fluxus menstruus aut plane deficiunt, aut valde imminutae observantur. Spectat huc porro difficultas alia, quâ nempe causas occasionales saepius ignorant ipsae aegrotae, unde ipse medicus incertus haeret, quid in tali casu sit agendum; et quamvis etiam causae occasionales et praedisponentes recte cognosci possint, saepius tamen accidit, ut hae causae iam tam diu effectum ediderint, ut nulla probabilis sperari possit earum sublatio, et totius morbi sanatio.

Ad faustam magis reddendam prognosin, mul-

tum



tum faciunt sanitas aegrotantis huc usque integra; vigentes vires digestrices; aetas iunior; constitutio corporis satis robusta; parvum temporis elapsi spatium, quo morbus primâ vice ab aegrotâ fuerit observatus, excretiones omnes, et praecipue menstrua bene ordinata ac ritè procedentia.

III. *Natura Morbi.* Quaecunque morbum apta sanabit medicatio, illa morbi naturae superstructa sit oportet; quum enim morbi ignoremus naturam, quomodo hunc morbum, bono cum eventu, sanare sperabimus? Hinc imprimis etiam in nostri morbi naturam erit inquirendum; sed primo nonnulla de morbi hydropici universi naturâ praemittere liceat.

Plurimi medici, imprimis post Brownium, hydropis naturam in asthenia universi organismi posuerunt; adeoque morbum hunc semper methodo incitanti tractaverunt; dicit enim Brownius: (1) *Debilitas universalis, id est debilitas, et atonia, imprimis locum habet in finibus arteriarum, et in*

vd-

(1) J. Brown's *System der Heilkunde* herausgegeben v. C. H. Pfaff, *Editio 3.* §. 627. p. 488.

*vasis exhalantibus, directe ab iis oriundis, quemadmodum etiam in initio vasorum absorbentium, ita ut illa vasa saepe in unâ parte magis afficiantur, quam in alterâ.*

Cum Brownii illa, sententia Richter (1) multum convenit, quamvis de illâ debilitate non ita agat; causam enim hydropis dicit functionem abnormem systematis lymphatici, et destructum aequilibrium inter vasa absorbentia et exhalantia in parte affectâ.

Ad binas has sententias aliorum variae de morbo opiniones etiam redeunt.

Verum recentiori tempore doctissimus Geromini (2) aliam de hydropse exposuit sententiam, quae multa habet, quibus se commendat, quamvis plura forte illi obiici possent; hanc opinionem hic etiam paucis referre lubet.

Universum morbum, a praegressâ repetit inflammam-

(1) Richter *l. l. T. 3. p. 16.*

(2) *Sulla genesi e cura etc. Cremona 1816. 8°.* Cum vero ad manus liber non erat, atque tempus defuit, illum ex Italiâ accipiendi, hinc quae de eius sententia proposui, deprompta sunt ex excerpto huius libri; in *Bibliothèque Universelle Scienc. et Arts, Oct. 1818. T. 9. p. 129 sqq.*

matione, et speciatim a leviori eius specie, quam erysipelatosam dicit, quod sequentibus argumentis probare conatur.

Serum hydropicorum, ex eius sententiâ, multum differt ab humore, qui ex vasis absorbentibus originem ducit, et convenit cum illo sero, quod, post inflammationem superficialem, actione vesicatorii vel lenioris incendii productum, sub cute accumulatur; quod serum omnes physiologi inflammationis lenioris productum esse affirmant.

Serum illud multum contineret albuminis, cuius copia a gravitate inflammationis praegressae penderet. Si ipsa inflammatio ulterius procedat, viscerum producit degeneraciones, sin vero levior fuerit, perversa illa secretio seri eius erit effectus. Haec ulterius confirmant sectiones cadaverum hydropicorum, in quibus fere semper viscerum obstructions, indurationes, tubercula, steatomata, et membranæ plasticæ observantur, quæ omnia certissime ab inflammatione producta fuere, et ab omnibus tanquam eius sequelae agnoscuntur.

Quo ad originem morbi, illum etiam ex praegressis morbis illustrare cupit, uti ex Scarlatina, Rhettis

matismo, et aliis morbis, qui inflammationem et obstructionem viscerum producere possunt, uti febres inflammatoriae, dysenteriae, imprimis etiam febres intermittentes rebelles, quae in ulteriori decursu, semper obstructiones et inflammationes viscerum leviores producant.

Censet porro, debilitatem absorbentium causam hydropsis sistere non posse, quia in debilibus, vasa illa saepe magnam energiam functiones suas exercent; hinc scilicet magnam hydropicorum sitim etiam explicat; quoniam vasa nimirum absorbentia statim omnia assumpta liquida absorbent, et magna liquorum quantitas ad secretionem illam morbosam seri requiritur.

Neque hydrops effectus auctae secretionis esse potest, quia serum hydropicorum naturam differt ab illo humore, qui a vasis exhalantibus secretur. Ex praemissis igitur his argumentis sequentem hydropsis definitionem proponit vir doctissimus. — *Hydrops est effusio humoris, orta a nova secretione, quam variae corporis humani partes, et imprimis membranae producere possunt; quae secretio repetenda est a praegressa inflammatione, diversae naturae vel gradus.*

Hydropes saccati ab eadem inflammatione secundum auctorem nostrum oriuntur; docent hoc saccorum structura, et varia materies effusa, quae pro vario inflammationis gradu differt.

Haec sunt, quae de istâ sententiâ communicare potui, quae certe probabilitatis magnâ specie sese commendat, sed quae ulteriori adhuc mihi videtur indigere confirmatione, imprimis num serum hydropicorum multum a sero, a vasis exhalantibus secreto, differat (1). Ad albuminis praesentiam in hydropicorum sero dein provocat auctor, atque eius

co-

(1) Serum, quod in superficie membranarum serosarum secernitur, hactenus tantâ copiâ colligi non potuit, ut Chemicum eius examen potuerit institui, atque sic diiudicari, utrum cum sero hydropico conveniret nec ne; serum hydropicum indole perfecte convenit cum sero, actione vesicatoriorum, et ambustione producto, nec a sero sanguinis differt, nisi quoniam minorem continet albuminosi principii quantitatem, et longe magis aquosum est. Consentunt hic experimenta Clar. Berzelii, in *Annal. de Chim. T. 88. p. 136.* cum experimentis Marceti, qui de industriâ utrumque serum examini Chémico subiecit; v. Schweigger's, *Journ. f. Chem. u. Phys. B 17. p. 28 sqq.* In eadem quoque sententiâ versatur Cl. Thénard, *Traité de Chim. T. III. p. 608. 2 Edit. Paris 1818.*

copiam a praegresso inflammationis gradu dependere dicit: at vero obiciendum mihi videtur, eam albuminis praesentiam ab inflammationis gradu pendere non posse, quia post graviores inflammationes, non bene curatas, nova humoris secretio incipit, puris scilicet, quod indole multum ab albumine recedit, humor est sui generis, neque albumen iam formatum continet. (1)

Symptomata hydropem praegredientia deinde difficulter causam inflammatoriam habere posse videntur. Docet hoc universalis illa debilitas, cum facie languida habituque cachectico, nisi statuamus, omnem eiusmodi inflammationem naturae esse asthenicae, quae antea non fuit observata, nunc vero disparuit, ut dein symptomata illa orientur, ab incipienti iam humoris morborum secretionem.

Quamvis igitur de inflammatoriâ omnis hydropis causâ plura adhuc dubia supersint, tamen hanc Theoriam cum fructu ad nostrum singularem hydropem applicari posse censerem, cuius naturam positam esse statuerem, *in praegressâ ovarii inflammatione*

(1) Conf. Cl. S. I. Brugmans, *Dissert. de Puerperis*, L. B. 1787 p. 21 et 115.

*flammatione, quae per consensum ligamentum uteri latum affectit, eiusque vasorum absorbentium functionem turbavit, vel quae ex simili causâ orta, simul et ovarium et ligamentum affectit.*

Inflammationem praegressam ovarii iam inter causas morbi enarravimus, (1) et facile demonstratur, quomodo illa dein ligamentum uteri affecerit, per consensum nimirum, a partium vicinitate, et fabricae analogiâ oriundum.

Post illam inflammationem, ovarium saepe induratur, et in sui generis suppurationem transit, dignoscitur illa materiâ viscosâ, quae in dissectis ovariiis frequenter apparuit (2), quamque ex ovulis degeneratis produci, haud improbabile videtur. (3) Per illam ovarii degenerationem laminae ligamenti uteri a se invicem diducuntur, inflammata vasa in functione impediuntur, vasa absorbentia obstruuntur, et eorum actio turbatur, hinc oritur hydrops, serosam utcunque materiem producens, quae vero per materiem in ovario productam, continuo inqui-

nae

(1) *Conf. p. 61.*

(2) *Obs. 1. et reliquae saepius allatae.*

(3) *Hartog, Waarneming. in 2de S. p. 135.*

natur; atque haec est causa, propter quam ex cadaveribus illorum, qui nostro corripiuntur morbo, semper brunneus, turbidus educitur humor.

Accumulationi dein favere, et resorptionem humoris collecti impedire videtur ipsum accumulatum serum; hoc enim pondere suo vasa absorbentia, iam laxa et atoniâ laborantia premit, et ita impedit, quo minus compressa illa officio suo recte fungatur, adeoque ipse morbus sanari possit.

IV. *Curatio.* In morbo adeo gravi, et variis causis producto, curatio cum fausti eventus spe raro suscipi poterit; hinc etiam raris in casibus illa successit, et nullam revera in nostris observationibus obtinuisse sanationem legimus, quamvis nonnullae aegrotae, quod alio iam diximus loco, morbo diutissime fuerint afflictæ, et sanitate satis bonâ gavisæ.

Indicatio tamen in nostro morbo duplex mihi videtur faciendâ, 1. *Indicatio causalis.* 2. *Indicatio Curatoria.*

1. *Indicatio causalis* variis morbi causis cognitis opponitur.

Quando igitur morbus originem duxisse a pletho-



thorâ abdominali, ex retentione fluxus menstrui videtur, in illo casu illa omnia convenirent, quae fluxum illum restituere possunt; evacuationes sanguines locales, per hirudines vel cucurbitulas cruentas ad labia pudenda maiora, vel ad internas cruris partes, una cum balneis harum partium tepidis, et assumptione potuum aquosorum diluentium (1).

Ubi causa magis sit inflammatoria, apparatus antiphlogisticus convenit; prodesse poterunt depletiones sanguinis universales, potissimum per venae sectiones, easque ad pedem institutas, cum haec magis ab affectis partibus derivare soleant, quam illae, quae in brachio instituuntur; conveniunt itidem balnea tepida crurum, acria per additionem seminis sinapi reddita, ut derivatio eo magis instituat: interne assumantur diluentia et refrigerantia, Nitras Potassae, Murias Ammoniac similiaque.

Postquam vero inflammatio fuerit imminuta, usus Murratis Hydragryri oxydulati utilissimus esse poterit; actione enim huius medicamenti vis plastica  
san-

(1) Richter, *l. l. T. 3. p. 558 sqq.*

sanguinis maxime imminuitur, ut concretiones et indurationes ovariorum sic optime praecaveri posse videantur.

Quando vero symptomata inflammationis sthenicae non ita apparent, sed ipsa magis videatur esse indolis asthenicae, tamen congestio abdominalis magna sit, tum praeter balnea, imprimis utile cense-rem, hirudines abdominis parti maxime dolenti apponere, evacuatione enim illa sanguinis locali integrum corpus non adeo debilitabitur, et ipsa congestio valde imminuetur, imo forte prorsus toletur (1).

Si

(1) Hinc etiam depletiones sanguinis locales in febris asthenicis fuere commendatae, et prudenter ac magna cum utilitate instituntur, ubi symptomata congestionis sanguineae magis intensae adsunt. In his febris illa congestio saepe versus caput fieri observatur, docentibus oculis rubentibus, facie turgida et delirio feroci, qua morbi conditione etiam Hildebrandus V. S. commendat, dum de inflammationibus nervosis agens, dicat; „Ich glaube daher auch, und „ich stütze mich untereinstens auf vielfältige glückliche Erfahrung, dasf bey diesen Entzündungen, „wenn sie bedeutender sind, und wenn der Schwäche „grad nicht gar zu groß ist, den anzuwendenden „Reizmitteln, einigës zusammenfallen der strotzenden

„ Ge-

Si quae dein indurationes ovariorum satis distingui possent, illas resolvere ope medicamentorum fortiorum tentari, sed cum exigua boni eventus spe, posset. Externe maxime convenirent Emplastrum oxyduli Hydr. cum Extract. cicutae, vel alia eiusmodi medicamenta, quae vi resolventi egregia praedita videntur. Ad usum vero internum magis conduceret, ipse Mur. Hydr. oxydul. Extract. Cicut., Gummi Ammon. Gummi Opopon. Sulphuret. oxydl. Stib. Hydrogen., Hydrosulphuretum Oxydl. Stibii, et quae huc porro referuntur; forte et aliquid efficeret medicamentum recentiori tempore valde commendatum, *Calendulam* volo *officinalem*, cuius laudes in carcinomate valde Westringius (1) extulit. (2)

Ve-

„Gefäße, und also eine behutsame Blutaussleerung vorangeschicket werden müsse.“ V. Hildebrand, über den Ansteckenden Typhus, Wien 1810 p. 240.

(1) I. P. Westring, *Erfahrungen über die Heilung der Krebsgeschwüre, mit Zusätze von K. Sprengel*, Halle 1817.

(2) Hoc medicamento laudato etiam in Nosocomio academico plus semel usi fuimus, duce Clarissimo Suermanno praeceptore optatissimo, qui illud medicamentum in nonnullis casibus, ubi Scirrhi varii adesse videbantur praescrispsit; observationes illae huius ce-  
le.

Attamen dubito, num haec omnia speratum editura sint effectum; in omnibus fere casibus allatis morbo imparia fuerunt.

Quando vero causa in suppressâ perspiratione sita sit, illa remediis diaphoreticis congruis erit restituenda.

2. Altera indicatio *curatoria* est, quae plerisque in casibus palliativa tantum erit, aliquando vero sanitatem integram restituere poterit.

Consistit illa in evacuatione humoris collecti, quae duplici ratione fieri potest. Educuntur nempe aquae per viam artificialem, siquidem magna eorum copia fuerit accumulata: quae res si ita se non habeat, illas aquas educere per vias naturales conantur medici, varia praescribentes medicamenta, sive diuretica, sive purgantia imprimis drastica, sive tandem diaphoretica fortiora, quorum ultimorum tamen usus in hydrope rarior esse solet.

Methodum, per vias naturales aquam educendi penitus dissuaderem. Primo enim humor collectus

pe-

lebrati medicamenti efficaciam huc usque confirmare videntur.

peculiari sacco, et saepius etiam plurimis singularibus parvis hydatidum sacculis continetur, ad quae certe receptacula, medicamentorum vis facile pervenire non poterit; deinde remedia omnia, quae huic scopo adhibentur, sunt fortissima, et ad drasticorum ordinem referuntur, uti Scilla, Scammonium, jalappa, Digitalis Purpurea, et quae porro huc referuntur; illa vero omnia corpus valde afficiunt, vires exhauriunt et statum cachecticum promovent, ut, quae antea non aderat, cachexia hinc existat. Cum vero morbus satis diu absque noxia ferri possit, hinc interne aliam non instituerem medicationem, nisi per congruam dietam, cum leniter incitantibus et roborantibus, inter quae vini generosi usus praesertim multum proficere poterit.

Altera vero evacuandi humorem serosum via superest, estque illa artificialis, atque haec semper eligi debet, siquidem adesse notabilem aquarum accumulationem manifesta fluctuatio indicaverit, tum scilicet apertura artificialis in illo abdominis loco est facienda, in quo distincte illa fluctuatio percipitur.

Haec vero evacuatio non solum aegrum sublevan-

di scopo institui potest, sed curam etiam radicalem producere poterit, quando accumulatio humoris non fuerit nimia et sanitas satis integra.

Ut vero haec operatio maiori cum sanationis secururae spe instituatur, utilissimum fore iudicarem, ut non omnis humoris copia semel simulque educatur, sed repetitis vicibus parva humoris copia eliciatur, quemadmodum eadem haec curatio in abscessibus musculorum Psoae commendatur. (1) Quando scilicet omnis materies evacuanda semel simulque emittitur, vasa, antea ab humore collecto sustentata, hoc fulcimento privantur, sicque omnem tonum amittunt, et ad actionem penitus inepta evadunt; sacci porro parietes, uno momento, collabuntur; neque valde quum antea iam distentae fuerant, elasticitate nimium privatae, hae membranae ad pristinum volumen redire possunt: ubi vero evacuatio sensim fit, vasa magis sustententur, illorum actio facilius continuatur, et impeditur, quominus sacci parietes collabantur, unde huic sese  
sen-

(1) Richter, *Anfangsgründe der Wundarzneekunst*, Göttingen 1801. Tom. 5. p. 121.

sensim contrahendi, et ad statum naturalem redeundi datur occasio.

Ubi vero hac ratione sanatio non obtineatur, ubi magna fuerit humoris collectio, ille per intervalla erit evacuandus, vel imminuendus; quo facto, sublevatis per illam curam palliativam symptomatibus, sub usu bonae et instaurantis diaetae, infelices feminae vitam satis commodam, per longum etiam temporis spatium, ducere poterunt.

Haec itaque sunt, quae de nostro morbo dicenda habui, pauca illa quidem et quae a viris artis peritis melius exponi potuissent, in quibus vero conscribendis, si aequis juvenilium conatum arbitris non penitus displicuerim, illud quidem mihi erit pergratum.

T A N T U M.

# SPECIMINIS CONSPECTUS.



## P A R S P R I M A.

### OBSERVATIONES

#### DE HYDROPE LIGAMENTORUM UTERI.

Observationes Novae.	.	.	.	p. 1
Observatio Prima.	.	.	.	2
Sectio Cadaveris.	.	.	.	6
Observatio Secunda.	.	.	.	10
Sectio Cadaveris.	.	.	.	17
Observatio Tertia.	.	.	.	19
Sectio Cadaveris.	.	.	.	22
Veterum Observationes.	.	.	.	23
1. Observatio <i>Zwingeri</i> .	.	.	.	24
2. ——— <i>Meeckrent</i> .	.	.	.	25
3. ——— <i>Drelincurtii</i> .	.	.	.	27
4. ——— <i>Riedlini</i> .	.	.	.	28
5. ——— <i>Maucharti</i> .	.	.	.	29
6. ——— <i>Stalparti v. d. Wiel</i> .	.	.	.	30
7. ——— <i>Targionii</i> .	.	.	.	31
8. Observationes <i>Duverneii Jun.</i>	.	.	.	—
Recentiorum Observationes.	.	.	.	33
1. Observatio <i>Martini</i>	.	.	.	35
2. ——— <i>Sandifortii</i>	.	.	.	37
3. ——— <i>Hartogii</i>	.	.	.	39
4. ——— <i>Windii</i>	.	.	.	44

PARS



PARS ALTERA.

CORROLARIA THEORETICO - PRACTICA,  
EX PRAECEDENTIBUS ELICITA.

<i>Praemonenda.</i>	. . . . .	p. 48
I. <i>Diagnosis Generalis.</i>	. . . . .	49
———— ab hydrope ovarii simplici.		51
———— ————— sacco peritonaei		
simplici.	. . . . .	53
———— ————— uteri.	. . . . .	54
———— ————— ascite.	. . . . .	55
II. <i>Causae.</i>	. . . . .	59
———— praedisponentes naturales.	. . . . .	—
———— ————— praeternaturales.		60
———— occasionales.	. . . . .	61
<i>Prognosis.</i>	. . . . .	63
III. <i>Morbi Natura.</i>	. . . . .	65
<i>Natura morborum hydropicorum, ex</i>		
<i>sententiâ Brownii.</i>	. . . . .	—
<i>Sententiâ Richterii.</i>	. . . . .	66
<i>Sententiâ Geromini.</i>	. . . . .	—
<i>Mea sententiâ de nostri morbi natura.</i>		70

IV. Curatio. . . . .	72
<i>Indicatio Causalis.</i> . . . .	—
Cura congestionis et inflammationis.	73
— degenerationum et scirrhorum.	75
— causæ rheumaticæ vel catarrhalis.	76
 <i>Indicatio Curatoria.</i> . . . .	76
Eductio aquæ per vias naturales. .	—
————— artificiales. .	77
Cautelæ. . . . .	78
Cura symptomática. . . . .	79



## Q U A E S T I O N E S.

### I.

In animalibus, quorum corporis fabrica simplicissima est, vis reproducens maxime vigere observatur, ita ut partes penitus sublatae, in iis perfecte regenerari frequenter observentur.

### II.

Recte cel. Bichat, vitam distinguit in *organicam* et *animalem*.

### III.

Tunica cerebri Arachnoïdea, eidem usui in cerebro inservire videtur, cui membranae serosae in aliis C. H. cavitatibus sunt destinatae, quemadmodum et naturâ suâ ad membranas serosas omnino referri debet.

### IV.

Ratio sana docere videtur praesentiam viarum clandestinarum, per quas urina directe e tubo alimentari ad vesicam defertur urinariam, quamvis ipsae illae viae hactenus ab anatomicis non fuerint detectae.

## V.

Recte Hippocrates *Sect. III. Aph. 1.* —  
 „ Tempestatum anni mutationes potissimum mor-  
 „ bos pariunt, et in ipsis anni tempestatibus mag-  
 „ nae mutationes, aut frigoris, aut coloris, aliaque  
 „ pro ratione, eodem modo.”

## VI.

Licet mores et vivendi ratio, morbos frequentio-  
 res reddant in genere humano, quam in animalibus,  
 tamen hujus frequentiae causa, magnâ pro parte etiam  
 posita videtur, in corporis humani fabricâ magis com-  
 plicatâ et subtili.

## VII.

Quamvis sententia de hydropis naturâ, initio  
 inflammatoriâ, quam Ds. Geromini proponit,  
 omni dubio maior non sit habendâ, et plurimis huc  
 usque laboret difficultatibus, tamen egregie est ex-  
 cogitata et plura habet, quibus se commendat.

## VIII.

Distinguendum est inter hydropem ovarii simpli-  
 cem, et hydropem ovarii et ligamentorum uteri.

## IX.

Praeclare Hippocrates *Sect. I. Aph. 21.* —  
 „ In acutis morbis raro et per initia medicamentis  
 „ purgantibus utendum est: idque prius diligenti  
 „ adhibito iudicio faciendum.”

X.

Ubi in febribus nervosis summa sit congestio ad caput, delirio feroci, aliisque symptomatibus pathognomonicis dignoscenda, magno cum fructu depletio sanguinis localis, imprimis per hirudines, fieri posse videtur, non adeo quidem ut sanguinis quantitas imminuatur, sed ut eius impetus periculosus a parte nobili avertatur.

XI.

Affusiones aquae frigidae quas Ds. Currie recentius; in febrium asthenicarum initio, laudavit, suas omnino laudes hic habere videntur: in morbo Scarlatinoso tamen, illarum usum penitus dissuadendum censerem.

XII.

Fumigationes et balnea vaporis accensi sulphuris, i. e. gas acidi sulphurosi, egregii in morbis cutaneis chronicis usus esse videntur.

XIII.

Quamvis multa medicamenta in curâ carcinomatibus fuerint laudata, et recentiori tempore magnas acquisiverit laudes *Calendula Officinalis*; horum tamen omnium remediorum efficacia ad scirrhum vel carcinoma occultum est referenda; aperti carcinomatis enim nulla instituenda est cura, nisi quae dolores mitiget et vires instauret.

## XIV.

Theoriae, de vario foetus, tempore partus, in utero situ, omnes eo redeunt, ut una vel altera pars axis corporis longitudinalis ad ostium uteri sit praevia, nihil enim refert, utrum foetus, pedibus, genibus vel clunibus praeviis observetur.

## XV.

Neque maior fere est utilitas in ipsâ praxi artis obstetriciae, diversos foetus situs pravos, ad varios diducere ordines, et pro singulis diversas commendare encheireses, uti Cl. Baudelocque fecit; quaecunque enim pars sit praevia, siquidem versio indicetur, illa semper secundum easdem regulas institui debet, habitâ tantum ratione num corporis pars anterior vel posterior ostio uterino inhaereat.

## XVI.

Quare omnes illae distinctiones subtiliores tuto omitti posse videntur, quae scilicet artem obstetriciam difficilem potius reddunt, quam revera accuratam eius pertractationem promovent.

## XVII.

Quando in pelvi arctiori, brachium foetus iam in vaginam penetraverit, humerusque simul profunde in cavitatem pelvis propulsus fuerit, ibique adeo fixus haeserit, ut non nisi maximâ adhibitâ

vi, repelli posset; tum, siquidem de vitâ infantis certior esset obstetricator, praestaret, synchondrotomiam, quam difficillimam instituere versionem.

XVIII.

Versio in caput, siquidem quaedam foetus pars, capiti proxima, ad ostium uteri observetur, et pelvis satis sit ampla, prae versione in pedes commendari maxime meretur.

XIX.

Vectis obstetricia egregie inservit ad mutandum perversum capitis situm, verum nunquam, ad educendum foetum est adhibenda.

XX.

Tum demum certe constat, utrum quis veneno perierit, siquidem veneni praesentia ex signis eius chemicis vel botanicis iudici fuerit probata.

XXI.

Thoracum balaenaceorum, aut laminis chalybeis munitorum usus, sanitati feminarum semper multum nocet; imprimis eorum usus periculo est plenus in puellis, antequam ad pubertatis accedant tempus; cum hoc tempore eorum sit maxima vis, ad vitiandam pelvis fabricam. Semper vero multorum morborum chronicorum ventriculi causam sistere possunt.

XXII.

## XXII.

In Maniacorum curâ, omnis, ad continendos illos, adhibita vis corporea, quantum fieri potest, est evitanda.

## XXIII.

Mortis verae unicus character sufficiens in observatis putredinis initiis est ponendus.

## XXIV.

Luis bovillae genuinae propagationem optime praecaveri posse, si animalia, in quibus prima morbi symptomata certa apparent, immediate trucidentur, ut sana ratio docet, ita exemplum Epizoötiae Traiectinae A<sup>1</sup> 1814. denuo egregie confirmavit.

## XXV.

Quotidianus spiritus iuniperi usus, inter praecipuas causas morborum et physicorum et moralium, nec non, apud inferioris sortis homines, etiam auctae continuo paupertatis habendus est: hunc igitur, qui tollere possit, optime de societate merebitur.

---



E R R A T A.

- p. 9 lin. 3 inf. monstrabat *l.* monstrabant  
— 18 — 6 cancerosum *l.* cancrosum  
— 33 — 1 inf. referuntur; ita *l.* referuntur, atque  
— 34 — 2 et 3 studia. Idem quoque historia confirmat. Orientales &c. *leg.* studia; ita quoque Orientales &c.  
— 63 — 3 inf. materieri *l.* materiei